

COLLECTIO MEDITATIONUM

PRO OCTIDUANA RECOLLECTIONE IN EXERCITIIS

SANCTI P. N. IGNATII

AD USUM

Scholasticorum Soc: JESU.



POLOCIÆ

In Privilegiata à SUA IMPERATORIA Majestate Typographia *Coll:* Soc: JESU

A. D. 1794.



MEDITATIONUM SANCTI PATRIS IGNATII

SERIES SECUNDA.


DIES PRIMA.

Finis, quem respiciunt omnes hujus diei Meditationes consistit in his duobus punctis: 1. Ut bené & vivaciter agnoscas finem tuum unicum, ad quem creatus és, in eo versari, ut DEUM in hoc mundo ames, glorifices, Illi servias; in altero verò, út Illo æternum fruaris. 2. Ut seriò te resolvas, ex omnibus viribus ad hunc finem tendere.

MEDITATIO PRIMA.

De Fine Ultimo Hominis.

I. P. *Nihil esse potest æquiùs, quàm vivere secundum suum finem DEUM ex corde amare & glorificare.* Redi modicùm in te o anima & perpende tuam originem. Ante annos



mille eras nihil. Poſt aliquot ſæcula dein DEUS reſpexit hoc nihilum, formavit tibi corpus, infudit animam immortalem, & ſic hominem te fecit: ergo tu es Opus infinité Sapientis, Omnipotentis, & infinite Boni DEI!

Infinita Sapientia facere & operare nihil poteſt, quin Sibi finem Se dignum præfigat. Finis ergo cur te ex nihilo extraxerit, erat gloria DEI, ut Illum in hoc mundo agnoſcas, ames, glorifices. & in altero, ut Illo æternùm fruaris. Credis hoc?... Singulis momentis, quæ hucusque vixiſti, debuiſſes DEUM Tuum amare, glorificare: Singulis momentis. quæ in poſterùm victurus es, debes id ipſum facere.... Quare? --

1. *Hoc exigit bonitas DEI.* Imaginare tibi anima mea, te quidem in eodem ſtatu, in quo es, natam eſſe, ſed mútam & elinguem: hodie de Cælo deſcendens DEUS vincula linguæ ſolvit, & loquendi tibi tribuit poteſtatem: Sed ſimul addit mandatum, ut in debitam gratitudinem, verbum nullum, niſi ad gloriam Illius unquam proferas. Poſſet-ne eſſe aliquid æquius, quàm ut illa lingua DEUM laudet, cui Ille Solus loquendi poteſtatem dedit?... Circumſpice, & conſidera te bené: an membrum ullum in corpore toto habes, quod tibi DEUS non dedit?.. An ulla eſt in anima tua potentia,

qnam

quam à DEO non accepisti?... An ergo æquùm non est, ut illud cor DEUM amet, quod Ille dedit: illæ manus pro DEO laborent, quas Ille formavit?......

2do. *Hoc exigit DEI in te dominium.* Altius esse non potest dominium, quàm illud DEI Tui in te. Ille te creavit & quidem ex nihilo, consequenter est absolutus tuus & omnium tuorum Dominus.... Qui hortum plantat, est Dominus horti, & omnium fructuum, qui ibi nascuntur, & qui unicum pomum decerpit contra illius voluntatem, furtum & injustitiam committit.... DEUS te creavit, & est Dominus tuus omniumqué tuorum, quæ habes; unicum ergo affectum, qui in DEUM non tendat, admittere, unicum verbum proferre, quod ad Illius laudem non cedat, unicum opus facere, quod propter Illum non fiat, furtum est & injustitia. An agnoscis nunc anima mea, quàm sit æquum DEO servire, Illum ex corde amare, & glorificare? Quomodo hanc tuam obligationem implevisti?... Duplici modo errari in servitio DEI potest: 1. Si otieris, & quod Domino debes, aut intermittas plane, aut obiter & perfunctorié peragas 2. Si malitiosus sis & Dominum tuum diversis injuriis afficias.... Quomodo DEO hucusqué servivisti? Quid ajt tua conscientia?...

A F-

AFFECTUS

Confusionis sui ipsius. O mi DEUS! agnosco errorem meum! Unicus meus finis erat, Te ex corde amare & glorificare: omne temporis momentum, omne verbum, omnis mea actio, honori Tuo sacrari debuisset... Et quid factum est? Tot millia horarum, affectuum, verborum, operum meorum, quo tendebant?... Pleraque in creaturas, in Te o DEUS, paucissima!... Parum hoc est, quot dies lapsi, quibus Te nulla positiva injuria affeci?.. Væ mihi! quàm negligens, ingratus, malitiosus....

Doloris. Quid jam aliud facere possum, quàm ad Tuam o DEUS! misericordiam confugere, & veniam petere? O! Detestor, quantum possum ex toto corde, singula momenta Tuo honori subtracta. Quis det mihi ut tot horas tam pretiosas sed perditas redimam?...

P. II. *Nihil potest esse utilius, quam vivere secundum finem suum & DEUM ex corde amare & glorificare.* Finis, ad quem creatus es, non solum gloria DEI est ut Illum ames, & glorifices, sed etiam tua æterna felicitas, ut Illô nempe æternùm fruaris. Quàm certum est, te nunc vivere in terris, tàm certum est, te olim futurum in Cælis, si DEO fideliter serviveris. Siste hic, anima mea, & perpende hoc bonum, quod te expectat.



1. *In Coelo eſt immenſa felicitas pro anima.* Felicitatem, quâ anima in Cælo fruetur, velle comprehendere, eſt tàm impoſſibile, quàm exhaurire maria. Unica hæc cogitatio magnitudinem felicitatis aliquo modo adumbrat. Sicut DEUS eſt Ens infinitum; ita Illius felicitas infinita eſſe debet. Nam minor quæcunque felicitas, infinitum Ens nec deceret, nec oblectare poſſet...- Felicitas DEI ergo eſt infinita, & eadem hæc felicitas eſt finis tuus. DEUS vult te eadem, quâ Ille felicitate, iiſdem, quibus Ille fruitur, gaudiis & voluptatibus frui!..-

2. *In Coelo eſt immenſa felicitas pro corpore.* Anima corpori juncta eſt, dum DEO ſervit, ergo anima æternâ beatitudine fruens, corpus habebit ſocium ejuſdem felicitatis. Sed quanta hæc erit?... Fides docet, tanta, quantam nec oculus vidit, nec auris audivit: tanta, quantam capere non poteſt ullus intellectus creatus!..- DEUS totam Suam Omnipotentiam impendit ad procurandam corpori gloriam & oblectationem omnem... Et quid non poteſt Omnipotentia?...

3. *Utraque hæc felicitas in Coelo eſt æterna.* Quam vana eſt omnis terrena felicitas. Ante annos centum erant Reges & Imperatores, coram quorum Majeſtate milliones hominum flexerunt genua, quorum divitias, felicitatem

mirabar-


mirabatur Orbis, quorum potentiam formidabant Regna finitima. Ubi ſunt nunc? Putruerunt & cineres illorum pedibus calcantur.. -- Sunt & hodie Reges & Principes, qui tanquam dii ſuſpiciuntur & coluntur ab hominibus, ſed poſt annos centum, quid erit ſuper? Manipulus cinerum, quos ventus diſperget!... Regnum, quod te expectat eſt alterius longe naturæ & qualitatis. Omnia in illo ſunt æterna. Illa infinité dulcis fruitio Sanctiſſimæ Trinitatis, eſt æterna, æterni amplexus dulciſſimi JESU, æterna converſatio & familiaritas Beatiſſimæ V. M. & Sanctorum, æterna illa pulchritudo Paradiſi, æterna omnium gaudiorum, quibus fruemur, ſuperabundantia! Omnia ſine imminutione, mutatione, interruptione, ſine fine, æterna....

AFFECTUS

1. *Spei* O DEUS! O immenſa Bonitas! quantum me conſolatur hæc veritas! Coelum eſt mea Patria, mea hæreditas, mea merces, meus finis ultimus! Ita eſt: pro me DEUS Coelum creavit!.... Si Illum nunc amem & glorificem, veniet illa dies, quâ ego Sole & ſtellis ſplendidior, in Paradiſum hunc voluptatis receptus, JESUM, dilectum meum, tenerrimo amplexu ſtringam, ubi corpus & anima gaudiis ineffabilibus repleta.... Felix dies! An te ſperare


licet?

licet? O ſpero, ſpero cum fiducia! JESUS meus mihi promiſit!....

2. *Contemptus omnium terrenorum.* Sed quid? Si Coelum eſt meum, cur mundum, & omnia, quæ in mundo ſunt non contemno?... Cur contriſtant me dolores corporis, ſi idem corpus gloria æterna & voluptate fruetur olim?... Cur contemptus aliorum, quem nunc interdum patior, ita me affligit & turbat, ſi me DEUS & Sancti omnes per totam æternitatem amabunt & glorificabunt?... Cæcutiebam hactenus, vana bona mundi plus æquo æſtimavi!... Impoſterum-- Patere modicum anima, labora, o corpus! nunc. Erit quieſcendi tempus, tempus gaudendi in æternum!...

P. III. *Nihil poteſt eſſe magis neceſſarium, quam ſecundum finem ſuum vivere & DEUM ex corde amare & glorificare.* Ita eſt, anima mea! Finis, quem ſibi DEUS in tua creatione præfixit, eſt gloria Illius. Hic finis debet impleri & implebitur, tàm certo, quàm certum eſt DEUM eſſe... Nam vide & conſidera.

1. *DEUS eſt infinité Bonus & infinité Juſtus.* Hanc veritatem bené tibi imprime anima mea! Tanquam infinite Bonus non poteſt non amare & in æternum remunerari illos, qui illum diligunt; & tanquam infinité



nite juſtus non poteſt non odiſſe & æternum punire illos, qui illum contemnunt. Credis hoc?... Perge porro....

2. *Quà infinité Bonus Coelum, & quà infinité Juſtus infernum creavit.* In Coelo fideles ſibi animas æternùm amabit, & remunerabitur; & illæ Jpſum in æternum laudabunt & benedicent. In Inferno infideles animas æternum odiô habebit & puniet, hæ verò Ipſum blaſphemabunt.... In Coelo laudatur in æternum Illius Bonitas & miſericordia; in Inferno timetur & ſentitur Illius Majeſtas & Juſtitiâ....Quid inde ſequitur?...

3. *Sequitur, quod DEUS ſuum finem infallibiliter aſſequetur....* Quidcunqué facies, ſemper gloriæ DEI promovendæ ſervies.... Si DEUM in terris amas, & glorificas, amabis & glorificabis Ejus miſericordiam in Cælo in æternùm! Sin ſecus, glorificabis in æternum Juſtitiam Illius. Infinité magno Domino, qualis eſt DEUS, non magis cedit ad honorem, ſi fideles Servos æternùm remuneretur, quàm ſi puniat infideles in æternùm. Propone tibi hic Anima mea! ex una parte Coelum apertum cum immenſis gaudiis, quibus fruuntur Electi: ex altera patentem Infernum cum omnibus tormentis, quæ patiuntur reprobi, & ſic te ipſam alloquere:...

DEUM

DEUM glorificare debeo, & quidem in æter-num: quam parum DEUS cessabit unquam esse DEUS, tam parum decretum hoc suum unquam mutabit!... Ergo æternum vivam vel in Cælo, vel in Inferno!... Nam in altero mundo omnia sunt æterna.--- Hæc anima mea DEUM aut sine fine amabit, aut odio habebit, & blasphemabit! nam anima mea est æterna .Hoc meum corpus, aut gloriosum in Coelo exultabit in æternum; aut in tormentis Inferni ejulabit in æternum: nam corpus est ibi æternum. Hæ meæ meæ manus, aut JESUM stringent amplexibus æternis; aut æternis vinculis adstringentur. Hi mei oculi, aut gloriosa Civium Coelestium corpora, aut monstra infernalia sine fine intuebuntur, Hæc mea caro, mea membra, aut incomprehensibili felicitate gaudebunt, aut ardebunt in igne sempiterno.--- Ad quid me resolvo? utrumque a meo pendet arbitrio.--- Unum è duobus me expectat!....

AFFECTUS.

Timoris Qvid dicam o mi DEUS?--- An perveniam ad Cælum?---- Terribilis quæstio, quæ me timore & tremore complet. An perveniam ad Cælum?.... Nescio. Hoc scio quod Tu dixeris: Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam: & qui odit animam suam

in hoc


in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Amare animam suam significat, sensualitati studere, sequi propriam voluntatem, contemptum fugere, irasci illis, qui nos offendunt. Animam suam odisse significat, se generosé vincere, abnegare voluntatem suam, malis bona reddere &c:.. An hoc feci?.. Væ mihi!... Effatum Christi condemnat me hac hora: quia non fui hucusque ex illis, qui oderunt animam suam!....

Propositum. Si obtentum vel amissum finem meum sequitur felix, vel infelix æternitas, quomodo est possibile, ut tam parum sollicitus sim illum obtinendi? An non deberem esse paratus, hoc momento, si esset necesse, profundere sangvinem ad Coelum obtinendum, vel evitandum Infernum?... Certe pro assequendo bono infinito & evitando infinito malo nunquam satis laborare, nunquam satis possum pati! - En ergo o mi DEUS! in Tuo conspectu firmiter propono, finem meum persequi, quantumcunque constet. Et ut certius illum assequar, statuo amodo omnia facere, quæ necessaria vel utilia in his Exercitiis esse cognovero.

Imploratio Divinæ gratiæ. Sed quoties jam hæc proposui, & quoties eadem proposita iterum violavi? - Agnosco, nisi venerit auxi-

lium &


lium & fortitudo ex alto, actum est de me. Ad Te itaque, o mi DEUS! confugio, & ex corde contrito clamo: Ignosce mihi, o summum Bonum! negligentias & peccata mea. Noli mecum agere, o DEUS! secundum merita mea, vel secundum rigorem Justitiæ Tuæ, sed secundum magnam & infinitam misericordiam Tuam! Illumina me, O Pater æterne! ut intime perspiciam, quid me oporteat facere, move cor meum, ut, quæ necessaria videro, generosé me resolvam facere. Adde his Tuis gratiis & illam, ut tandem in exequendis propositis constantior evadam. Qvid juvaret misericordissime DEUS! quod me creaveris; quid juvaret, o mi Salvator! quod Tuum pro me Sanguinem fuderis; quid juvaret o Divinissime Spiritus! quod me per gratiam Tuam hæredem feceris, si æternum perirem? - - -

MEDITATIO SECUNDA.

De fine hominis Religiosi.

P. I. *Ut Secundum finem meum ultimum vivam, DEUMQUE amem, & glorificem, exigit Sublimitas mei Status.* Nescio, utrum Status tui sublimitatem satis cognoscas, anima mea! finis tuus ultimus est, DEUM in hoc mundo amare, & glorificare, sed modo subli-

miore &


miore, & perfectiore, quam omnes homines sæculares; in altero vero DEO æternum frui, sed in perfectiore gradu gloriæ, quam omnes homines sæculares. Jam perpende prærogativas, & commoda tui statas.

1. *Prærogativa, & commodum tui status est assecuratio beatitudinis.* Si tu, anima mea, secundum tuum statum vivas, facis DEO injuriam, quoties de salute tua vel minimum dubitas. Audi verba clara Christi: Omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quis ita loquitur? DEUS, in loquendo infinite verax, & in servandis promissis infinite fidelis. An ad consolationem tuam dici plus posset?

2. *Prærogativa, & commodum tui status est Sanctitas, & conjunctio cum DEO.* Eodem die, quo te DEUS ad Religionem, vocavit te statim ad Sanctitatem: Ille vult, ut dones illi totum cor tuum, omnes cogitationes, & affectus ad Illum dirigas, ut sine intermissione cum Illo agas, Illi colloquaris, Illi intimie uniaris: hic est finis, quem DEUS te vocando habuit. DEUS te solum ideo de mundo, in Religionem, ad vitam solitariam vocavit, ut cor tuum solus possideat, amore sui inflammet: & habitaculum sibi in eo paret, in quo

ille te-

Ille tecum, & tu cum Illo ſuaviſſimam colere familiaritem queas.

3. *Prærogativa, & commodum tui ſtatus eſt ſublimis gradus gloriæ in Cœlo.* Omnes Electi quidem ſunt Cœli Principes, & fruuntur infinita felicitate: Sed tantum inter gloriam unius, & alterius tamen eſt diſcrimen, quantum eſt inter ſplendorem ſolis, & ſtellæ minoris. Tua eſt o anima mea, præ millionibus Electorum gloria ſublimior, tibi eſt promiſſa, tibi parta. Si vis perfectus eſſe (ita ad te loquitur æterna Veritas) vende omnia, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me. Imaginare tibi hìc Principem Throni quondam hæredem ſed adhuc in cunis vagientem. Hic puſio, rationis uſu deſtitutus felicitatem ſuam necdum capit; ſed alii jam illum felicem prædicant, & ſtatum illius tanquam ſtatum mundi exoptatiſſimum conſiderant. Quare? hæres eſt Regni potentiſſimi: poſt paucos annos throno adito, corona regia redimitus, populis multis dominabitur: Natura ſupra milliones hominum illum extulit; fortuna tantis illum bonis, & divitiis cumulavit, ut totam vitam ſuam agere in deliciis poſſit. Ah, anima mea! ſi ſortem tuam oculis fidei conſideras, quanto magis hanc æſtimare debes? Poſt paucos, fors 20.

annos,


annos, Paradifum hæreditatem tuam, poffidebis cum Aureola Virginitatis in capite, cum tot palmis in manu; quot de te victorias retulifti, milliones Electorum antecelles pulchritudine, & gloria: Tanta gaudiorum, & voluptatum abundantia perfrueris, ut his comparatæ omnes mundi felicitates tanquam nihilum evanefcant!

AFFECTUS.

Æftimatio fuæ Vocationis. Ergo finis meus, cum DEUS me ad Religionem vocavit, eft, ut Illum hic perfectiore modo amem &c. & ibi Illo fruar in gradu gloriæ fublimiori præ omnibus fæcularibus? ut ex corde toto Illum amem, & amer ab Illo, ut Illum perfectum amorem hic incipiam, & ibi continuem in æternum? O quanta hæc gratia? quando, & quomodo hanc pro merito æftimare potero? Benedicta millies fit & laudata, & fuperexaltata immenfa DEI in me Bonitas, & Mifericordia!

Humiliatio fui ipfius. Sed eadem hæe gratia quantam mihi caufam præbet me humiliandi! Poft tot annos Religionis debuiffem utique jam tandem difcere humilitatem, quæ contemptum fine perturbatione ferat, manfvetudinem, quæ illatas fibi ab aliis injurias æquoani mo concoquat, obedientiam, quæ voluntatem

prompte

prompte ſubjiciat, amorem DEI, qui continuo operetur, verbo perfectionem ſtatui meo competentem. Quam procul ab his omnibus abſum? quam fere nullam diligentiam adhibui proficiendi? o DEUS! pudet me.

P. II. *Ut ſecundum finem meum vivam, & DEUM perfecte glorificem, exigit ſingularis DEI in me amor.* Si magnitudinem amoris, quem tibi DEUS per gratiam vocationis ad Religionem exhibuit, agnoſcere velis, perpende ſequentes veritates.

1. *DEUS te vocavit ſine reſpectu ad ſuam utilitatem.* Non tu DEUM elegiſti & ex amore Illius ad religionem te contuliſti; ſed DEUS te elegit, & ad illam te perduxit. Non vos me elegiſtis, ajt Chriſtus ad Apoſtolos, ſed ego elegi vos. Illæ primæ cogitationes de ſtatu Religioſo ingrediendo, illi motus interni, qui deſiderium tuum excitarunt, acuerunt, illud robur animi, quo obſtacula, & impedimenta perrupiſti, ſunt miſerationes divinæ, opus DEI, non tuum. Et quam inde ſibi DEUS utilitatem intendere poterat? Ille ab omni retro æternitate ſufficiebat ſibi, erat feliciſſimus ſine te, & eſſet etiam impoſterum. Nihil ergo eſt, quod DEUM ad te vocandum movere poterat, niſi ſolus tui amor.



2. *DEUS te vocavit ſine ullis tuis meritis.* Quot milleni ſunt in hoc mundo, qui hac gratia longe te digniores fuiſſent? Quot milleni hac gratia melius fuiſſent uſi, & gratiores ſe DEO exhibuiſſent, quam tu? Hoc non obſtante non illos, ſed te elegit.

3. *DEUS te vocavit cum aliquali gloriæ ſuæ majoris diſpendio.* Multa hominum ſæcularium millia æternum peribunt, qui ſalvarentur, ſi DEUS illos ad hunc ſtatum, in quo tu es, vocaſſet. Multa hominum ſæcularium millia fierent Sancti, & illorum Sanctificatio DEO ad maximum honorem cederet, ſi illis hanc, quam tibi præſtitit, gratiam præſtitiſſet. Hæc omnia DEUM non moverunt: præ aliis omnibus te reſpexit, te attraxit.

AFFECTUS.

Gratitudo. O mi DEUS! quanta eſt tua erga me bonitas, & miſericordia! quantum egiſti, ut me ad finem meum, ad ſublimem illam ſedem gloriæ duceres, quam in Cælo mihi præparaſti? Millenos in ſæculo reliquiſti, qui hac gratia multo fuiſſent digniores, millenos, qui illa melius uſi fuiſſent, millenos, qui per hanc attigiſſent perfectionis culmen: non hos, ſed me reſpexiſti! O amorem vere mirum! O quantam Tibi gratitudinem, quantum amorem debeo! Si mille linguas, mille corda haberem.....

Con-

Confusio sui ipsius.) Sed væ mihi! quo sublimior finis meus, quo major vocationis gratia, eo pejor, & abominabilior est mea ingratitudo! Quot homines sunt in mundo, qui annos plures omnem nutum sui rigidi, & duri Domini sollicite observant, & sequuntur, quin vel verbo contradicant, & obmurmurent, dum ego interim in rebus minimis voluntatem meam abnegare vix possum. Quot sunt, qui per tot annos, cum extrema paupertate, quacum conflictantur, inter mille calumnias & persecutiones se DEO ex corde subjiciunt, dum ego minimis difficultatibus succumbo. Quot sunt, qui in medio mundi tumultu cor suum cum tenerrimo amore ad DEUM elevant, dum ego in Religione vitam distractam vivo? O mi JESU! quantum senties tædium, dum apud illos paucæ gratiæ copiosos, apud me multæ paucos fructus producunt? An non hic verificabitur, & implebitur, quod olim minatus es: Novissimi erunt primi, & primi novissimi!

P. III. *Ut secundum finem meum vivam, & DEUM perfecte amem, & glorificem, exigit necessitas.* Repete breviter, quæ hucusque meditata es, anima mea! Tu debes DEUM amare, & glorificare, sed perfectiore modo, quam omnes sæculares: hic est finis tibi a DEO præfixus, hæc est obligatio tua. Si non


ſatisfacias huic obligationi, quid, & quomodo tecum erit? male, male, ſeu DEUS tecum ſecundum ſuam miſericordiam, ſeu juſtitiam agat, Nam

1. Si tecum ſecnndum miſericordiam egerit DEUS, non ſalvaberis, niſi in minore gradu gloriæ, & poſt longam in Purgatorio moram. Dixi 1. non aliter niſi in minore gradu gloriæ. DEUS tibi ſublimem in cœlo locum paravit; quia vero per negligentem, tepidamque vitam te illo indignum reddis, illas ſpeciales illuminationes intellectus, illas teneras cordis motiones, illas gratias extraordinarias, quas tibi daturus erat, auferet, & pauperculæ ancillæ, devotæ Virgini ſæculari dabit; hæc cooperabitur, DEO cum fervore ſerviet, & ita ſedem tibi paratam occupabit. Dixi 2. non aliter, niſi poſt longam in Purgatorio moram. Certum eſt, quod tepidus Religioſus innumera ferme venialia peccata committat. Certum eſt, quod durante tepore quotidie multiplicentur. Certum eſt, quodlibet horum Purgatorium promereri. Jam coniſidera, quantum erit talis Religioſi Purgatorium, & quamdiu durabit? Conſidera, quid poſt vitam longiorem te expectet, etiamſi DEUS tecum egerit ſecundum ſuam miſericordiam! *Quodſi vero ſecundum rigorem juſtitiæ tecum egerit,*

certus

certus est tuus interitus, & quidam interitus longe funestior, quam sæcularium damnatorum.

Dico 1. *Tuus interitus certus est.* Terra, ajt DEUS, venientem sæpius super se imbrem imbibens, & fructum non ferens, reprobata est, & maledictioni proxima. Hæc terra tu es: imber gratiarum, mediorum, occasionum, quæ suffecissent ad te promovendum ad excellentem Sanctitatem, tibi non deerat; sed fructus nullus apparet: quid fiet? hæc terra maledictioni est proxima.

Dico 2. *Interitus tuus longe funestior, quam sæcularium damnatorum.* Quo major est DEI erga homines in hoc mundo amor, eo majus in altero est Illius odium, si vilipenditur, & spernitur Illius amor. Quo major hic est Illius in nos liberalitas, eo major est ibi Illius ira, si gratiis datis abutimur. Hinc illæ terribiles minæ adversus infelices urbes Corozaim, & Bethsaida, quæ tot acceptis a Christo gratiis non cooperabantur. Væ tibi Corozaim &c. Tyro & Sydoni levius erit in judicio, quam vobis! Et tu Capharnaum, quam usque ad cœlos extuli, usque in abyssum demergeris. Veritas hæc negari non potest. Si DEUS secundum rigorem agit, Religiosus aut sublimem in Cœlo gloriam, aut pœnam in Inferno terribilem habebit. Medium

inter

inter hæc duo eſt dubium, & manet nobis ſemper myſterium non perſcrutabile.

AFFECTUS

Timor. O mi DEUS! redit mihi hic denuo in memoriam illa terroris plena interrogatio; an fiam ſalvus? an perveniam ad Cœlum? Vivo quidem forſitan ſine gravi peccato; hoc homini ſæculari poteſt ſufficere, ſed non mihi Religioſo! negligens, tepida, immortificata vita me vix ſalvabit: quamdiu amor non eſt efficax, oratio fervens, ſeria mortificatio, tamdiu de Salute certus non ſum. Multa millia Religioſorum ſunt in Inferno, qui non erant me tepidiores, quia illis DEUS ob abuſum gratiarum denegavit ſua ſpecialia auxilia. Quid mihi fiet? Neſcio: hoc tamen fateri coram Te, mi JESU, debeo: mea tepiditas nil aliud mereretur!

Propoſitum. Quamdiu, o mi DEUS adhuc acedia mea durabit? O nimis multos annos in hac tepiditate conſumpſi, nimis multis gratiis abuſus ſum! Tempus eſt, excutiendi jam tandem inveteratum illum torporem,& opus perfectionis ſerio aggrediendi! Statutum eſt, o mi JESU! hac hora.

Amor. Sed an eſt poſſibile, ut Deum jam nunc perfecte amem? Eſt poſſibile:hac hora poſſum perfecte amare DEUM, amare uſque ad mortem,

amare

amare in æternum! O Veritatem jucundam, & ſo-
latii plenam! Totum itaque cor meum ad Te con-
verto, Summum & Jnfinitum Ens! Nil optarem
ardentius, quam ut amor omnium Spirituum An-
gelicorum in corde meo concentretur, ut uno
momento compenſare poſſem, quod hucuſque
neglexi, & hac mea negligentia perdidi; Jn pi-
gnus hujus amoris propono, o mi DEUS fir-
miter, exequi omnia quæ tibi placere his
diebus cognovero. O JESU! conſerva hunc
in meo corde amorem, & fac ut quotidie ma-
gis, magiſque augeatnr!

MEDITATIO III.

De perfecta erga Creaturas omnes indifferentia.

Quicunque fine ſuo excidit, illo excidit aut propter nimiam ad illas affectionem, vel nimiam ab iiſdem averſionem. Ad primam illarum Claſſem ſpectant commoda, & volu-
ptates corporis, bona & divitiæ mundi, ho-
nores, æſtimatio hominum, & cætera, quæ
nos ita interdum afficiunt, ut ea cum offen-
ſione DEI ſectemur & ſectando fine noſtro
excidamus. Ad ſecundam Claſſem pertinent
incommoda, & dolores, defectus, & paupertas,
contemptus, morbi, matura mors &c. Hæc
enim



enim tædium & horrorem in homine generant, & faciunt, ut à DEO & Ejus servitio recedens fine suo ultimo tandem frustretur. Ad ponendam ergo in tuto salutem tuam oportet te ad utramque Classem Creaturarum perfecte indifferentem & paratum esse, tam evitare, qvidqvid consecutionem tui finis impedire, quam amplecti, quidquid ad consecutionem ejusdem conferre potest.

P. I. *Ut cor tuum in perfecta indifferentia conserves, exigit DEI in te Dominium.* Finis tuus, o anima mea, in hoc mundo est, DEUM perfecte amare, & glorificare; Jllum autem perfecte amare nil aliud significat, quam voluntatem Jllius adimplere. Hoc autem non poteris, nisi ad valetudinem bonam & malam, ad honores & contemptum, gaudia & dolores, animum perfecte indifferentem habere coneris. Perpende bene has veritates.

1. *Quomodo servire DEO debeas, non est tuum determinare, sed DEI.* Tu Jlli servire debes, non quomodo tu, sed quomodo Jlle vult. Jlle Dominus est, tu servus; Domini est præcipere, servi obedire. Jn ipso Cælo hic ordo observatur. Aliqui Angelorum stant jugiter ante Thronum DEI, laudantes & benedicentes Jllum. Aliqui versantur in terris, & custodiunt homines: hic Angelus potenti

Regi

Regi, ille ruſtico Cuſtos attribuitur, quiſque ſervit Deo, ut præcepit Jſte. An minor in terris, quam in Coelo DEI eſt Auctoritas, & Dominium? An intelligis hæc anima mea? progredere.

2. *Dominium DEI eſt illimitatum. Ille tibi modum ſibi ſerviendi præſcribere poteſt, quicunque Ei placet.* Jlle eſt DEUS, tu Ejus Creatura. Quis velit, vel poſſit limites ponere Jllius poteſtati? Figulus agit cum vase ſuo, quod lubet: deponit illud in angulo, adhibet ad uſús viliſſimos, frangit, verbo, agit cum illo, quod vult. An DEO non licet cum homine, quem creavit, facere, quod licet figulo cum formato à ſe vaſe? Quocunque in ſtatu te ponat, quidquid de te decernat, ubique & ſemper teneris Jllum amare & glorificare.

3. *Deo ſervire prout vult, ſignificat, Jllum perfecte honorare, et amare, et ita finem ſuum aſſequi.* Omnia tua ſervitia, ſi non ſint, qualia vult DEUS, ſunt, ac ſi non eſſent! Sola illa placent, quæ voluntati Ejus ſunt conformia. Jgitur, ſi quod officium habes, illud ex amore DEI & diligenter implere debes, aliud non deſiderans. Si mens tua & cor tuum plenum eſt amaritudine & deſolatione, plenum tenebris & tentationibus, his

DEI


DEI de te ordinationibus plene acquiescere, & illi servire sicut in quiete & consolatione debes. Si corpus tuum cum doloribus & infirmitatibus conflictetur, hæc omnia ex amore DEI perferre debes. Si odio habearis, afficiaris injuria, contemnaris ab omnibus, tolerare debes èx amore DEI cum silentio, Hoc significat servire DEO, prout Jlle vult. Quo longius ab hoc vivendi modo recedis, eo magis à fine tuo recedis.

AFFECTUS.

Agnitio & recognitio Dominii DEI. Jta est, o mi Creator! Tu es DEUS, Tibi competit omne dominium, Tuum est præcipere, meum, utpote creaturæ, est obedire: Tibi servire: & quidem servire, prout Tibi placet. Agnosco hoc Tuum absolutissimum dominium, & cum humilitate adoro. Væ servo judicii sui & suæ voluntatis tenaci. DEO servire, prout nos volumus, & non prout Jlle vult, significat nos Dominos & DEUM servum facere. Talis autem inordinatio quam mercedem sperandam, immo quam pænam timendam non habet?

Doloris, Sed quomodo est possibile, o Domine! homines dari, qui Tibi tantum, prout ipsi volunt, non sicut Tu vis servire de-

fide-

ſiderent? Dantur tamen, et ad confuſionem meam fateri cogor, ipſe ego ex illorum hujuſque numero fui. Volebam Te amare, & glorificare ſano, non invalido corpore: volebam Te amare quamdiu æſtimabar, laudabar ab aliis, ſed non in contemptu, perſecutione &c. Volebam Te amare, & glorificare in quiete animi, durante ſenſibili devotione *&c*: ſed non in deſolatione, tentationibus &c. Sed an hoc eſſet DEO ſervire, prout Ille vult? O me infelicem! quid egi?

P. II. *Ut cor meum ſervem in perfecta indifferentia, exigit providentia DEI.* Quam difficile eſt, aſſequi finem ſuum ſine perfecta indifferentia, tam facile eſt cum illa. Ut hæc clarius perſpicias, conſidera ſequentes veritates.

1. *DEUS eſt omniſcius, adeoque ſcit, quæ media te ſecuriſſime ad finem tuum ultimum deductura ſint.* Omnia quidem media apta ſunt, morbus, & ſanitas, honor & contemptus, ſplendidum & vile officium, dummodo bene iis utamur. Sed dic, quid pro ſalute tua eſt tutius, ſi bene valeas ſemper, vel ſi morbis affligaris? Si ab omnibus honoreris. vel ſi contemnaris, ſi officio magno, vel ſi vili fungaris? Neque ullus homo id novit: Solus DEUS ſcit. Arcana hæc ſunt ſolis DEI oculis pervia!

2. *De-*



2. *DEUS est infinite bonus, tuique amantissimus, ideoque media semper tutissima ad finem nostrum nobis præordinat, quamdiu perfecte indifferentes sumus.* DEUS erga animam nostram se ita gerit, sicut Mater tenerrima erga prolem sibi carissimam. Quam parum talis Mater induci unquam potest, ut proli suæ venenum propinet, tam parum, immo multo minus potest DEUS animæ, quæ se illi cum plena resignatione, & indifferentia committit, aliquid noxii ordinare. Crede, anima mea, & tanquam veritatem infallibilem habe! Si DEUS infirmitatibus te visitat, hæc est tutissima ad finem ultimum via, si te contemni, tentari, injuria affici sinit, hæc est pro te via ad Cælum securissima.

3. *DEUS est omnipotens, & deducit animam, perfecte indifferentem, infallibiliter ad suum finem.* Quis enim impediret? Nec Angelus nec homo, nec Cœlum, terra, vel infernus Omnipotentiæ Ejus resistere potest. Tu sola, o anima mea, tu sola aliquomodo impedire potes, si te nempe directioni Illius providentiae subtrahas. Sin vero duci te ab illa sinas, quo & quomodo Illi placet, tam certa es de salute tua, quam certum est, Illum esse omnipotentem, & infinite bonum.

AFFE-

AFFECTUS.

Fiduciæ Quanta pro me consolatio! Qui me regit, est infinite Sapiens, & scit optima, & securissima ad salutem meam media largiri; est infinite Bonus & in horas singulas ea seligit & parat mihi; est Omnipotens, & tuetur me, roboratque, ut nulli adversarii nocere mihi possint. Hac stante notitia certa, an potest ullus esse in corde meo diffidentiae locus? Non! o mi DEUS! cum gaudio projicio me totum in sinum paternæ providentiæ & cum maxima filiali fiducia clamo ad Te: Tu, Domine! vis me Tecum in Cœlo habere, & quidem in gradu gloriæ sublimiore, & ego cum sis Pater meus optimus, spero confidenter, quod amor Tuus gratuitus me eo deducturus sit.

Confusionis sui ipsius. Sed quid? An ego hanc felicitatem sperare possum? Cœlum, gloriam æternam promisisti tantum illis, qui Te amant, & glorificant, prout Tu vis, & in perfecta indifferentia erga creaturas ambulant; sum-ne talis? Cor meum me redarguit, & contradicit: delector enim adhuc vana gloria, & tristor, si contemnar, huic vel illi Superiori, in hoc vel illo puncto obedio quidem libenter, sed cum tædio & reluctantia alteri vel aliis in rebus &c. Est-ne hoc illa indifferen-

ferentia, quam perfectus amor exigit? Tam mundanum & creaturis affixum cor eſtne capax perfecti amoris? O mi JESU! eſto propitius peccatrici animæ meæ! Nec primum, ut video, paſſum ad ſolidam ſanctitatem hucuſque feci!

P. III. *Ut cor meum in perfecta indifferentia ſervem, exigit DEI juſtitia.* Si tu, anima mea, directionem bonitatis Divinæ ſequi, & mediis illis, quæ tibi ad finem tuum obtinendum ſuppeditat, cum humili ſubjectione uti nolis, incides in manus Juſtitiæ. Et quid inde ſequetur? afflictio & miſeria multa, quam nunquam ſatis deflebis. Nam

1. *Certum eſt, quod talis anima longe plus in hoc mundo patiendum habet, quam anima perfecte indifferens.* Falleris, anima mea, ſi evaſuram te putas illas difficultates, & afflictiones, quas tibi amor DEI tanquam media ad finem tuum tibi prædeſtinat: Velis, nolis, habebis perferendos tamen illos dolores, morbos, contemptus, vilipenſiones, deſolationes, tentationes &c. quas DEUS ab æterno tibi decrevit. Jam ſi indifferentem te exhibeas, & cum humilitate ac patientia omnia perferas, DEUS ſibi in te complacet, roborat te copioſo gratiæ ſuæ influxu, largitur tibi quietem animi, & viam crucis facilem & dulcem

reddit

reddit. Sin vero, ſubtrahit tibi gratias, & ſinit te ſub cruce tua deficere.

2. *Certum eſt, quod illo ſublimi gloriæ gradu tibi prædeſtinato excidas.* Impoſſibile enim illum gradum aſſequi, niſi per media, a DEO conſtituta. Si indifferens non ſis, illa media libenter non acceptes, vel iis uti nolis, fruſtra laboras, actum eſt de fine tuo.

3. *Certum eſt, quod beatitudo tua, etiam in minore gloriæ gradu, periclitetur.* Anima, hac indifferentia carens, multis & gravibus tentationibus neceſſario eſt obnoxia. Quid in talem animam non poterit ira, & impatientia? quo non deducet illam triſtitia, & puſillanimitas? quo ſuperbia, & contemptus horror? quo voluntas propria? perturbatio animi, & rebellio paſſionum indomitarum? Ad hæc omnia ſuperanda requireretur ſpeciale, & ſingulare DEI auxilium! An dabit DEUS Animæ, quæ ſe Illius ductui ſubtrahit? quæ omnia ſibi ab illo prædeſtinata media pertinaciter reſpuit? & Illi aliter, quam ſecundum propriam voluntatem, ſervire renuit? quæ Illum tanquam abſolutum ſuum Dominum non agnoſcit, & ſe diſpoſitionibus Illius temere opponit? Speret, qui vult; res eſt plena periculi.

AFFECTUS

Humiliationis ſui ipſius! O ſummum Bonum! Do-


Dominus meus, & DEUS meus! quantam in anima mea inordinationem invenio? quantam in intellectu cæcitatem, quantam perversitatem in voluntate! Ego considero dolores, morbos, vilipensiones &c. tanquam maxima mala, & Tu tanquam aptissima ad Sanctitatem, ad Coelum media! Ego judico tentationes, & desolationes esse causam mei interitus, & Tu judicas, esse viam ad gloriam majorem certissimam. Cæcutit ergo intellectus meus. Necdum totum: etiam voluntas est perversa. Commoda corporis, honores, vana laus *&c.* hæc sola sunt, quæ arrident, quæ ambabus ulnis amplector, prenso *&c.* Reliqua omnia horreo, & fugio. Venenum avide arripio, & medicinam repello!

Propositum. Quid ergo agendum mihi? duo hodie puncta clare perspexi. 1. Ego te amare & glorificare debeo, non sicut ego, sed sicut Tu vis. 2. Non possum te sic amare, & glorificare, adeoque salvari, nisi erga creaturas sim indifferens, & mediis, a Te mihi decretis, utar! In conspectu ergo Tuo nunc propono, exstirpare omni studio tam nimiam erga creaturas affectionem, quam aversionem ab illis. Indifferentem me exhibebo erga honorem & contemptum, valetudinem prosperam & adversam, consolationem & desola-

tionem



tionem &c. Omni die, omni occaſione per totam vitam. - Reclamabit quidem natura, ſed prævaleat gratia. Hoc eſt firmum animi mei decretum: O mi DEUS! te volo amare, & glorificare, non prout ego, ſed ſicut tu vis.

Imploratio gratiæ: Sed quis me in hoc tam ſalutari, tam neceſſario propoſito, a quo ſalus mea dependet, conſervabit? mea fragilitas major eſt, & inconſtantia mea altiores radices egit, quam ut ab alio, quam à te, o mi DEUS, remedium ſperare poſſim! Te igitur, o mi JESU! toto corde, totis viribus inclamo; aufer a me omnem amorem, extingue omne deſiderium creaturarum, quæ naturæ corruptæ placent; remove a me timorem & horrorem illarum, quæ eidem diſplicent, & fac, ut nihil deſiderem, quam placere tibi, nil metuam, quam tibi diſplicere, o JESU! miſericordiarum Pater! -

DIES EXERCITIORUM SECUNDA

MEDITATIO PRIMA

DE PECCATIS ANGELORUM ET PROTO PARENTUM.

I. P. *Quantum ſit malum peccatum, oſtendit pœna Angelorum.* Revoca tibi in memoriam, anima mea, illud tempus, quo DEUS

creavit cælos, & Angelis replevit. - Quis his ſpiritibus erat felicior? pulchritudo illorum erat tanta, ut homo intueri illos non poſſet, quin præ gaudio moreretur; Sapientia tanta! ut illa Salomonis Sapientia cenſeri ignorantia poſſit & debeat: Conſtitutio & eſſentia illorum tam felix, ut doloris cujuſcunque ne capaces quidem fuerint; habitatio illorum tam amæna, quam eſt Paradiſus Cæleſtis. Donis his naturæ quantumcunque grandibus, erant grandiora dona gratiæ. - Habebant cognitionem DEI perfectiſſimam, charitatem infuſam, amicitiam & unionem intimam cum DEO, & promiſſum certiſſimum, poſt paucos dies intrandi in gloriam, & illa æternum fruendi. Bonitate hac tanta abuſi ſunt Angeli, noluerunt ſervire DEO, prout ipſe voluit; peccarunt, & poenam incurrerunt. - Conſidera nunc attente circumſtantias huius pænæ.

1. *Hæc poena erat privatio omnium bonorum.* Infelices hi Angeli ex pulcherrimis ſpiritibus in momento facti ſunt ſpectra abominanda: ex filiis DEI cariſſimis, obiecta odii & furoris æterni: E cælo præcipitati, ſicut fulgur deſcenderunt in abyſſum inferni! -

2. *Hæc poena erat collectio omnium malorum.* Clauſi nunc in Barathro inferni patiuntur, quidquid pati poteſt anima: triſtiſſimam

recor-

recordationem in memoria, extremam perturbationem in intellectu, extremam desperationem in voluntate, crudelissimas, & voracissimas flammas in omnibus potentiis..

3. *Erat pœna sine misericordia.* Si DEUS infelicibus his spiritibus, vel modicum temporis concessisset, sine dubio agnovissent peccatum suum, fuissent illud ex corde detestati, & sic DEUM per totam æternitatem ardentissime amarent: Sed enim divina justitia eodem momento, quo peccarunt, illos corripuit, & ad tartara detrusit, quin vel tantillum illorum pœnitentiam exspectaret;

4. *Erat poena sine remedio.* Ardebant infelices hi Spiritus in inferno plus quam 4000 annis, dum Christus in hunc mundum venit ad tollendum peccatum; verum quid illis profuit? Ille misericordissimus JESUS, qui tot lachrymas super Jerusalem civitatem flagitiosam profudit, ne unicam quidem pro his guttulam fudit. Jlle amabilissimus JESUS, qui vitam & sanguinem pro maximis suis inimicis dedit, pro illis nec guttam obtulit. Unico momento duravit peccatum, in æternum durat pæna! Siste hic modicum, descende in hos carceres infernales mente, & vivaciter tibi repræsenta infelicitatem horum reproborum. En illos in mon-



ſtra mutatos tam execrabilia, ut præ horrore mortuus concideret, quisquis intueretur! illorum habitatio eſt carcer deterrimus & tenebricoſiſſimus in centro terræ, duris rupibus, & petris undique cinctus, igne undequaque pleniſſimus: illorum poenae & tormenta tanta ſunt, ut nec verbis ullis adumbrari, nec mente concipi ullo modo queant! Hoc conſiderato ita tecum diſcurre: Hæc ſpectra, hæc monſtra erant olim ſpiritus pulcherrimi, filii DEI chariſſimi, opus excellens omnipotentiæ Divinæ, incolæ, & decor Paradiſi cæleſtis! quid mali ergo fecerunt, ut in has miſerias deturbarentur? Tota cauſa erat cogitatio unica, momentanea, unica inobedientia, unicum peccatum, & propter hoc ſolum ardent jam ultra 5000. annos, & tota æternitate ardebunt. Et quis tam terribilem in illos ſententiam tulit? DEUS! Ergo DEUS aut non eſt infinite ſapiens, infinite juſtus, & miſericors, aut peccatum debet eſſe inexplicabile, infinitum malum!

AFFECTUS,

Admirationis. Quid primum mirer, DEUS meus! an rigorem Juſtitiæ tuæ adverſum hos, an miſericordiæ tuæ erga me magnitudinem? Nobiliſſimi hi ſpiritus unicum peccatum commiſerunt, & propter hoc illos æternum à te abjeciſti! ego cinis & pulvis to-

ties

ties peccavi, & tu mihi peperciſti! Abuſus ſum tua miſericordia toties, dum poſt obtentam a te veniam priorum peccatorum, in eadem denuo prolapſus ſum, & tu denuo mihi ignoviſti! Adhuc nunc, hac hora reſpicis me benigno & paterno oculo & brachia miſericordiæ erga me extendis. O Angeli! convertite veſtros è cælo in me oculós; en quot peccata commiſi, tot videtis miſericordiæ & longanimitatis DEJ in me monumenta! facite, quæſo, facite mei loco, quod ego non poſſum, ut debeo; laudate, & benedicite. - --

Doloris. Sed hæc ipſa Ejus miſericordia cor meum dolore & amaritudine replet! Offendi DEUM, qui me plus, quam tot Angelorum millia, amavit: DEUM, qui me impium poſt tot flagitia in ſinu mitericordiæ fovet: DEUM, qui me non obſtantibus tot meis peccatis ſalvum vult! O ingrata anima, quomodó talem amorem ſpernere, & talem, tam bonum Dominum offendere potuiſti? quomodo huius tuæ ingratitudinis vel meminiſſe potes, quin in ſuſpiria, & lachrimas amariſſimas reſolvaris? o JESU! agnoſco, fateor, doleo, abominor.

P. II. *Quantum malum ſit peccatum, oſtendit poena primorum parentum.* Nunquam mundus maiorem felicitatem vidit, illa, qua Proto-


parentes noſtri poſt creationem fruiti ſunt.

I. *Quam amœna erat illorum habitatio, Paradiſus?* Nullus ibi calor, nullum frigus: nulla aëris intemperies! ver perpetuum! arbores ex ſe, ſine ullo prævio labore fructus optimos, terra flores, & plantas mirificas produxerunt.

II. *Quam magnum erat illorum, in animalia omnia dominium?* Ad nutum illorum advolabant aves, ad unum verbum accurrerunt ad illos animalia, & pedibus illorum advoluta ſunt: adnatarunt littori piſces, & obedientiam ſuam, & gaudium manifeſtarunt.

III. *Quam mira erat illorum felicitas quoad corpus?* Cura omni liberi vivebant, doloris & laboris omnis expertes, non morbis non morti ſubjecti, in eodem flore & vigore Juventutis permanſuri &c.

IV. *Quam mira erat illorum, quoad animam felicitas?* Poſſidebant perfectiſſimum in affectus ſuos dominium: cognitione DEI ſublimi, charitate erga illum ardente erant præditi: habebant promiſſum poſt diuturnam & felicem, ſine morbo & morte vitam, cum corpore & anima cælum intrandi, & regnandi cum DEO in æternum. Verum quam liberalis in illos erat DEUS, tam ingrati illi fuere erga DEUM; nolebant illi ſer

vire, prout volebat; peccabant, & ſic incurrebant poenam! conſidera jam circumſtantias hujus poenæ, & in illis gravitatem peccati!


I. *Propter hoc unicum peccatum omni felicitate privati ſunt.* Terra eſt maledicta, & ſine ſudore vultus nil profert amplius, niſi tribulos, & ſpinas: maledictum eſt corpus, & ad dolores, infirmitates, & mortem damnatum: maledicta anima, & tanquam DEI inimica ex paradiſo in hanc lachrymarum vallem ejecta.

II. *Propter hoc unicum peccatum tota poſteritas ad easdem miſerias condemnata eſt:* Imaginare tibi planitiem aliquot milliaribus longam, & latam, & calvariis ad altitudinem pedis tectam. & coopertam. En omnes iſti milliones hominum ob hoc unicum peccatum mortem amariſſimam obierunt, & obibunt adhuc, qui ſunt & erunt unquam in mundo!

III. *Propter hoc unicum peccatum infantes omnes non baptizati, e cælo excluduntur in æternum.* Si numerum inire poſſes omnium infantum, qui ſingulis annis a nativitate Chriſti, vel paſſione, ſine Baptiſmo deceſſerunt, quantam, quam enormem illorum eſſe ſummam deprehenderes? Et hi omnes cælo privantur in æternum, propter eſum pomi!

IV. *Propter hoc peccatum damnatur æter-*

num

num maxima pars adultorum. Quicunque damnatur, damnatur ob effrænes affectus sui cordis, qui illum ad peccandum alliciunt, & abripiunt. Inclinationes hæ malæ, & passiones sunt poenae, & effectus huius peccati: & causæ, cur tot quotidie peccata committantur ab hominibus omnis generis, status, ætatis, & conditionis, adeoque sunt causæ, cur tam multi ex omni genere, statu, ætate, & conditione damnentur in æternum.

V. *Propter hoc peccatum JESUS pati, & mori in Cruce debuit.* O grande & ineffabile Mysterium! & prodigium justitiæ & amoris! DEUS cæli, & terræ Dominus, innocentia & Sanctitas ipsa, unigenitus DEI filius adjudicatur à Patre suo cælesti morti, & morti acerbissimæ, & probrosissimæ, & quidem tantum propter peccatum!

6. *Non obstante hac morte, pergit cœlestis Pater hoc peccatum continuo in nobis miseris hominibus punire.* Paradisus perditus est, & nos erramus in hac valle lachrymarum: vita nostra omnis est plena amaritudine, & afflictionibus, mors plena timoris, salus incerta: & cælum nobis non nisi per veram poenitentiam & lacrymas multas patet! -

AFFECTUS.

Timoris. Quam terribiles veritates fides mihi

ante

ante oculos ponit! Angeli e cælo proturbati, ejectum Paradiſo genus humanum, multi animarum milliones cruciantur in inferno: Chriſtus ex mandato Patris Cæleſtis in cruce moritur, & hæc omnia propter unicum peccatum. Heu mihi! Pater Cæleſtis cum Filio ſuo tam rigide agit propter peccatum non ſuum, quomodo aget mecum propter mea, tam multa, tam enormia peccata? mecum, qui in his ſordibus tamdiu me volutavi, poſt obtentam toties veniam, toties relapſus ſum!. -

Doloris. Video, o mi DEUS! non ſuppetere pro me medium, niſi miſericordiam tuam immenſam, & veram meam poenitentiam! Ante te ergo proſtratus deteſtor ex corde omnia peccata mea. Erravi, inique egi, agnoſco, fateor, doleo! mille potius vitas profundere, mille ſubire mortes debuiſſem, quam te vel ſemel offendere, & tamen - - - Ah! quis dabit oculis meis fontem lachrymarum? - - -

P. III. *Reflexiones ex prædictis veritatibus faciendae.* Collige te de novo, & ſequentes reflexiones cordi tuo alte imprime. -

1. *Si unicum peccatum tantam DEO abominationem cauſat, quanta eſſe debet in oculis Ejus abominatio anima mea?* Si vel ſemel peccavi, peccavi toties, quoties Spiritus illi reprobi: Si centum peccata commiſi, ſolus



ego tot peccata commiſi, quot commiſerunt centum illi Spiritus rebelles. -- Si unum peccatum commiſi, talis ſum coram DEO abominatio, qualis eſt unus ex Spiritibus damnatis, Si centum, tanta, quanta ſunt centum Spiritus tales ſimul. -- Si ſemel peccavi, odit me DEUS neceſſario eo odio, quo unum ex illis, & ſi centies, odio eodem, quo centum illorum ſimul odit. -

2. *Si unicum peccatum meretur infernum, quantam ego benedicendi & laudandi DEUM cauſam habeo.* Si peccavi ſemel, infernum meritus ſum, ſicut omnes Angeli damnati; ſi ſæpius, magis infernum meritus ſum, quam omnes illi! Et quare tamen ibi, non ſum, ubi hi infelices ſunt? - Ah idem DEUS, qui erga illos rigore juſtitiæ, erga me miſericordia ſua uſus eſt! - O bonitas! o amor! o DEI longanimitas!

3. *Si DEUS Unicum peccatum in Angelis & hominibus tam terribiliter punivit, quantam cauſam habeo juſtitiam illius timendi?* Tot Angelorum millia DEUS propter peccatum unicum, cogitatione ſola, uno momento patratum, ſine gratia, ſine remedio, ſine ſpatio pænitentiae abjecit, & igni æterno addixit. - Si ſemel adhuc peccarem, an non poſſet, an non ſtatueret idem de me? O

DE-

DEUS fateri cogor, me non poſſe amplius peccare ſine ſumma temeritate, & te non poſſe amplius parcere, ſine ſumma miſericordia! -

AFFECTUS.

Doloris. O DEUS! Cælum & terra teſtantur terribile tuum in peccata odium! o me infelicem! quid egi? nil meretur amari præter te mi JESU! nil odio & averſione dignum eſt, niſi ſolum peccatum! - Et ego inſenſatus JESUM odio habui, & peccatum dilexi! O inſaniam æterno igne digniſſimam! Agnoſco, o mi DEUS, & defleo! Quam melius fuiſſet, ſi in terra putruiſſem, antequam peccaſſem! ſed enim ſera ſunt haec ſuſpiria! peccavi, & toties peccavi, & tam enormiter peccavi! poenitet me ex corde! o JESU miſerere, & ignoſce!

Gratiarum actionis. Sed eadem haec mea malitia revocat mihi in memoriam immenſam miſericordiam tuam. Cum timore recordor horæ illius, qua primum peccavi! Infelix hora, o utinam illuxiſſes nunquam! Si tunc, o DEUS, egiſſes mecum, ſicut cum Angelis egiſti, jam in inferno habitaret anima mea! Ah! ſola huius periculi memoria in quo anima mea tam pretioſa, unica, immortalis verſabatur, me facit tremere! Tu mei

mi-

misertus, & tempus poenitentiam agendi largitus es! O quantas tibi laudes & gratiarum actiones debeo?

Implorationis gratiæ. O miserere mei DEUS, miserere mei! Agnosco, quam infinitum malum sit peccatum! agnosco ex tormentis damnatorum Angelorum, ex miseriis ejecti é Paradiso primi hominis, ex doloribus morientis in Cruce Christi! Grande mysterium! JESUS filius DEI debet mori, & ita mori propter scelera mea! an majus malum patrare potui, quam quod JESUM Cruci affixit? O maledictum peccatum! o JESU! per eundem sanguinem, quem tu pro meis peccatis effudisti, te obtestor: da mihi singulare gratiæ tuæ auxilium, ut peccata vere & amare plangam, & inposterum cane pejus, & angue abominer, fugiam, & potius moriar, quam....

MEDITATIO SECUNDA.

De peccatis personalibus.

P. I. *Quantum malum sit peccatum, conjici potest ex ejus effectibus.* Quales hi sint, expende. I. *Eodem momento, quo peccatur, anima, imago DEI pulcherrima mutatur in monstrum teterrimum.* Dici, & comprehendi non potest, quam mire pulchra sit anima, quamdiu

diu eſt in gratia DEI! Eſt imago & effigies ipſius pulchritudinis divinæ! ad quam producendam infinita ſapientia, & potentia requirebatur! Mille vitas, dixit olim magna quædam ſancta, cui DEUS hanc animæ pulchritudinem oſtendere dignatus eſt, profundere, mille ſubire neces parata ſum, ut animam tam pulchram vel unicam ſervem! Sed enim quam pulchra eſt per gratiam, tam abominabilis fit per peccatum: anima peccatrix, & ſpiritus damnatus ſunt duo monſtra ſibi ſimillima, & quemadmodum nullus hominum ſpiritum damnatum, prout eſt in ſe, intueri poſſet quin præ terrore moreretur ita nec animam peccatricem! Etc.

2. *Eodem momento quo peccatur, incurrit anima extremum odium DEI!* Jnfinito, nec ullis verbis explicando odio DEUS peccatum odit. Jpſa Chriſti humanitas, ſi aliquod in illa peccatum deprehenderetur, quod tamen impoſſibile eſt, a Deitate ſeparata, ignibus æternis addiceretur. DEUS debet odiſſe peccatum, & quemadmodum impoſſibile eſt, ut DEUS non ſit infinitum bonum, ita non eſt poſſibile, ut infinito peccatum odio non proſequatur.

3. *Eo momento, quo peccatur, ex filio Dei fit man-*



mancipium diaboli. Commiſeratione digna miſeria eſt, obſeſſum eſſe à diabolo, & maledictum orci incolam diu noctuque in corpore circumferre! quid erit ergo traditum ab ipſo DEO, quoad animam, infernali Spiritui ſub poteſtate, & dominio dæmonis vivere? Prior poteſt eſſe filius DEI, & ſpem habere regni Cæleſtis æternum poſſidendi: alter eſt inimicus Dei & ſingulis momentis verſatur in periculo, ne à ſuo Domino ad æternos carceres abripiatur!

4. *Eo momento, quo peccatur, anima in viliſſimum & maxime contemptibilem ſtatum dejicitur.* Nil peccato eſt turpius, nil peccatore contemptibilius. Si Deus omnium hominum oculos ita illuminaret, ut quiſque, qui tibi occurrit, cor tuum introſpiceret, & omnia tua peccata & ſcelera in eo legeret, quæ tota tua vita cogitatione, verbo & opere patraſti, Deus bone! quæ tua confuſio? quis pudor? an non delitеſcere malles in tenebricoſis cavernis & ſpecubus, quam te illis in conſpectum dare? En! ratio ipſa dictat, nil peccato eſſe turpius, nil peccatore contemptibilius! Jn conſpectu Dei tui peccaſti, quoties peccaſti, & oculi illius collectas peccatorum tuorum ſordes jugiter intuentur! o quanta confuſionis tuæ materia!


Confu-

AFFECTUS.

Confusionis sui ipsius. Quot peccata commisi? o mi DEUS! non est ulla animæ potentia, ullum corporis membrum, quo te non offendissem! O infelix memoria! quot millecogitationes peccaminosas admisisti? Jnfelix voluntas! quot millenis inclinationibus, & affectibus inordinatis cessisti, & indulsisti, Jnfausta lingua! quot millena verba otiosa, impura etc, protulisti! infaustæ manus! quot opera vetita exercuistis? infelix cor! quot creaturas inordinate vel amasti, vel odisti? Si ergo unicum peccatum tantam tibi, o Deus! nauseam & abominationem creat, qualis erit coram Te anima mea, in qua ferme nil, nisi peccata vides? quo ibo, ubi me abscondam ad effugiendam confusionem meam? Profecto si me omnes nossent, sicut novit DEUS, omnes sancti in Cælo, omnes homines in terris oculos a me suos præ abominatione averterent.

Jmploratio gratiæ, Pudet me mei ipsius; & dum priorem meam insaniam considero, timore, & tremore totus obrigesco. Ah mi DEUS! nam quo me vertam, quo confugiam, nisi ad Te, o infinita bonitas, & misericordia; Infunde, quæso, cordi meo dolorem sincerum, intensum, & talem, qui deleat omnes animæ meæ maculas, & sordes, ut

coeli


coeli, & terræ novam materiam habeant infinitam tuam misericordiam celebrandi!

P. II. *Quantum malum sit peccatum conjici potest ex essentia hominis contemptibili.* Perpende o anima, quid sis, & ex eo conclude, quantum malum sit peccatum! - -

1. *Homo est Creatura nil boni in se habens.* Quid es, quid eras, quid eris? es lutum, fuisti ante paucos annos nihil: brevi a vermibus consumptus in pulveres & cinerem abibis. Abyssum nihili tui nullus creatus intellectus, solus DEUS comprehendit! & tamen hic cinis, hic terræ vermiculus erexit contra DEUM caput, extendit manus adversus Omnipotentem, & illi restitit! ausus est DEUM contemnere & dicere, quis est Dominus, ut vocem ejus audiam? nescio Dominum, nullum agnosco! - -

2. *Homo est Creatura, ergа quam se DEUS infinite liberalem exhibuit!* Infinita sunt DEI in te beneficia! Tota tua vita momentum nullum fuit, quo novum tibi beneficium non præstiterit, nec ullum, si ipse velis, per totam æternitatem erit, quo non aliquod tibi beneficium præstabit. Hæc omnia præstitit *amore æterno:* nam nec se prius, quam te dilexit, *amore immerito:* nam neque te, neque tuis operibus eget: *amore magnanimo* nam has gratias conferre poterat aliis, illi ferventius servituris!

Et ta-

Et tamen auſus es, ingratiſſime, hunc DEUM Tuum, Benefactorem tantum, tam liberalem, toties, & tam graviter offendere! Quantum eſſet facinus, ſi quis degener filius in facie Patris ſui, neſcio quæ nefanda committeret, quin illius faciem conſpueret? An non idem tu facis, vile inſectum, & erga tenerrimum Patrem tuum, ingratiſſimum.

3. *Homo eſt Creatura, quæ omnia DEO debet!* Qvidquid es, quidquid habes, Creatori Tuo in acceptis referre debes; Jlle tibi dedit. Jlle conſervat. Quam enormis eſt ingratitudo, beneficiis ipſis & gratiis DEI ad majeſtatem Jllius offendendam abuti? Quid ingratius, & abominnatione dignius vel cogitari poſſet, quam ſi uſu membrorum olim deſtitutus, ſed dein per miraculum a JESU ſanatus, iisdem manibus Jllum flagellaret, quarum illi uſum reſtituit? Si mutus eadem lingua, quam per miraculum illi ſolvit, Chriſtum blaſphemaret? Reflecte dein oculos in te, quis tibi linguam, aures, oculos, manus dedit, quis illa membra corporis, illas animæ potentias, quibus DEUM toties offendiſti?

4. *Homo eſt Creatura, quam DEUS faucibus inferni eripuit.* Si vel ſemel peccaſti, anima mea, infernum es promerita & quod in illo actu non ardeas, ſoli miſericordiæ DEI


tribuendum eſt. Hoc te fides docet: Quantum aggravat hæc circumſtantia relapſum tuum? Si DEUS Spiritum aliquem damnatum ex inferno liberaret, tempus pænitendi offerret hodie, cras autem ille ipſe, non obſtante beneficio tam liberaliter ſibi conceſſo, DEUM iterum blaſphemaret, quid putas, an non mille & longe graviores infernos mereretur? Te DEUS non decies, vigeſies, ſed fors ſæpius ab inferno, quem meritus es, præſervavit & poſt impenſam hanc tibi miſericordiam quid egiſti?

2. AFFECTUS

Humiliationis & agnitionis. Domine DEUS! coram Te abjicio me uſque ad abyſſum inferni! nam qualem mihi convenientiorem locum invenire poſſum? Ego terra & cinis inſurgere auſus ſum contra altiſſimum. Contra Te, a quo omnia accepi, qui quovis momento novis me beneficiis cumulat! Contra DEUM, qui poſt tot mea peccata mihi hucuſque pepercit? Fateor o mi DEUS! malitiam meam, ferme diabolicam, & mille infernis dignam! Miſeri Spiritus reprobi! infeliciores quidem me eſtis, ſed non propterea, quod plus, ac ego peccaveritis, ſed quod Deus minus erga vos, quam me fuerit miſericors! Vos unicum peccatum commiſiſtis, ego innumera! Vos unicam,

cam, ego tot millenas gratias habui! Vos vindicta DEI in momento deprehendit, mihi bonitas DEI, tot annos indulsit! Abjecit vos DEUS post primum peccatum, mihi post tot peccata parcere voluit, & tamen ego Illum offendi! An non imber lachrymarum ex oculis meis manare jugiter deberet?

2. *Doloris.* Tu probas corda & renes, o Deus! En! doleo, abominor, detestor ex omnibus viribus peccata mea, usque in hanc horam commissa! O utinam omnis in me dolor & contritio concentraretur, quem omnes unquam pœnitentes persenserunt, ut digne deflere mea peccata possim! Sed quoniam hoc non possum, offero Tibi saltem illius loco, illos dolores, illam amaritudinem, & agoniam, illum sudorem sanguineum, quem pro peccatis meis in horto Getsemani toto corpore profudisti!

P. III. *Quantum malum sit peccatum, conjici potest ex suprema DEI majestate, quæ per hoc offenditur.* Quo dignior & excellentior est persona, quæ offenditur, eo major & gravior est offensa! Magno & potenti Regi colaphum impingere, longe major est injuria, quam percutere servum; hoc dictat ratio: expende jam secundum hanc regulam gravitatem peccati. Quid est DEUS?



1. *DEUS est infinitum bonum!* Est Ens, quod in se omnes perfectiones complectitur. Est infinita bonitas, omnipotentia, Sanctittas, pulchritudo, liberalitas, misericordia, Sapientia, verbo, omnes perfectiones in Se continet. Nec solum in se est bonum summum, sed est etiam origo omnis boni in Creaturis: non est ulla potentia bonitas, pulchritudo, Sanctitas &c, aut in cœlo aut in terris aut in Angelis, hominibus, vel Creatura alia, quæ non ex DEO tanquam fonte promanavit. Bonum tale, tam infinitum offendere, contemnere, injuria afficere, quanta est malitia?

2. *DEUS est Jnfinita Majestas.* Leva in Cœlum oculos. En! hic sedet in Throno suo: Milliones Angelorum, & Beatorum circumstant, a fulgore Deitatis extra se positi benedicunt & laudant Illum totis viribus, & quia vident, quod Illum laudare, quantum altitudo, & sublimitas Illius meretur, non queant, in facies suas prostrati fatentur, Illum infinite majore honore esse dignissimum. Dum hæc in Cœlo aguntur, dum omnes Ejus incolæ conantur DEUM pro viribus suis laudare & glorificare, erigit se vermiculus miserrimus, & supremam majestatem injuriis lacessit! Quanta hæc malitia! ut hanc incomprehensibilem malitiam saltem aliquomodo capias!

1. Jmaginare tibi, vel finge animo: omnes Ange-


Angelos de Cœlo descendere, & corpus humanum assumere: omnes homines, quot quot erant ab orbe condito, resurgere e sepulchris: omnes hos per annos mille denuo in mundo vivere: austerissimam pœnitentiam agere, & tandem ex amore DEI ardentissimo suum sanguinem per martyrium fundere. An Deo per hoc satisfacere & compensare injuriam possunt, quæ Illi per unicum peccatum infertur? Nequaquam, est impossibile.

2. Si omnes Angeli, per totam æternitatem totum suum intellectum, & omnes vires, & potentias impenderent, ad comprehendendam malitiam peccati, nunquam illam assequerentur.

AFFECTUS

Accusationis sui ipsius. Ope luminis per Te, mi Deus, mihi desuper immissi, malitiam meam summam agnosco! Ego Te offendi, ego miser homuncio, cinis, terræ vermiculus! Te offendi Regem Regum, Deum, Summum bonum, originem omnis boni! Offendi Te non in abscondito, sed coram conspectu Tuo, in facie Tuæ maiestatis tremendæ! Offendi Te iisdem oculis, manibus, corde &c. quod Tu mihi ex misericordia largitus es! Offendi Te, non spe obtinendi alicujus regni, vel timore subeundæ acerbæ necis, sed timore modicæ

confu-


confuſionis, amore vilis oblectationis ſenſuum! Offendi Te, non ſemel aut bis, ſed toties; offendi eadem hora, qua me tuis beneficiis cumulaſti, qua furorem dæmonis coercuiſti, ne me in tartara ſecum abriperet! o DEUS, quanta, quam horribilis eſt mea audacia, malitia, amentia, ingratitudo! Et tamen ante oculos Tuos eſt adhuc infinite major, quam ego illam agnoſcam!

2. *Doloris*. Ita & toties Te offendi, & quam egi pœnitentiam? dolui interdum, pectus percuſſi & dein quaſi de venia jam ſecurus acquievi. Quid poſt tot offenſas DEI, poſſumne tam levi, & exigua pœnitentia contentus eſſe? An non cor meum jugi dolore confici, oculi mei jugibus lachrymis innatare deberent? Offendi infinitum bonum, id ſatis eſt ad dolendum ſemper! O utinam Te numquám offendiſſem! Utinam prius mortuus --- ſed enim paſſiones me excæcarunt

Propoſiti. Parce mihi, parce o DEUS, per infinitam tuam miſericordiam, per JESU Chriſti ſangvinem Te obteſtor, Nunc toto corde ad te converſus, in conſpectu Tuo firmiter ſtatuo, potius mortem, quam ullum peccatum eligere! Sed an ſerium eſt, et ſincerum propoſitum? Ita o mi JESU! Tu es Dominus vitæ & mortis; ſi prævides,

me

me adhuc ſemel peccaturum, rogo Te ſuppliciter, ut me prius ex hac vita evoces, antequam infelix ille dies mihi illuceſcat...

MEDITATIO TERTIA.

De Morte.

1. P. De morte, peccati pœna, conſidera præſertim hæc tria.

1. *Certitudinem & conceptum mortis.* Statutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori, docet fides, & continua omnium retro ſæculorum experientia. Sed quid eſt mors? qui ejus effectus?

1. *Mors eſt Separatio animæ a corpore;* & quam amara, cum quantis doloribus conjuncta? ipſa natura hominum ceteroqui non timidorum hanc ſeparationem horret! An vidiſti unquam morientem? En hic jacet viribus omnibus deſtitutus, immobili trunco, quam homini ſimilior! Frons frigido ſudore perfuſa, exangues & pallidæ genæ, oculi fixi, & caligantes; vox fracta, os fæde hians, anhelitus crebri, & interclufi diſſolutionem non procul abeſſe nuntiant. Ita ad extrema redactum invadit novus febriculæ inſultus, luctatur natura, ſuccumbit denique, & anima poſt repetitas aliquoties convulſiones, & omnium membro-

rum

rum ſucceſſiones egreditur, Judici ſuo ſiſtenda. Corpus interim exanime in putredinem, & ſaniem abit, & ne illius deformitas, graveolentia, & fætor oculos, nareſque hominum offendat, humi quam primum defoditur eſca vermium futura! Huc denique recidunt tot curæ, ornando, nutriendoque delicate corpori & fovendæ plus æquo cuticulæ impenſæ! Subter te ſternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ 14. 11.

2. *Mors eſt privatio omnium, quæ in mundo poſſidemus:* Et in quibus forſitan contra principia noſtræ Religionis felicitatem noſtram conſtituimus, quaſi æternum iis fruituri. Stulte! dicit DEUS talibus *Luc. 12. 20.* hac nocte repetent a Te animam tuam & quæ paraſti, cujus erunt? Tua non erunt amplius. Nihil in hunc mundum intulimus, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus. Tim. 6. 7. Quam durum eſt amatoribus hujus mundi, a bonis illius avelli! o mors! quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! Quid igitur juvant nunc divitiæ, quas tot artibus, utinam ſemper licitis collegiſti? quid honores, quos tam avide non ſine aliorum injuria captaſti? aliis poſt te illos relinques. Quid amici, quorum inſano amore non ſemel amicitiæ DEI renunciaſti? deſerendi
ſunt.

ſunt. Quid voluptates, deliciæ, commoda? In omnibus vides vanitatem, & ſentis afflictionem Spiritus! quid juvat te illis olim fruitum eſſe? Tranſierunt, ſicut umbra, & non ſunt; & utinam nec fuiſſent unquam! Saltem purior, & quietior e corpore anima egrederetur! Siccine ſeparas amara mors!

3. *Mors eſt finis temporis & initium æternitatis.* Ubi nunc ſunt tot anni, quos vixiſti, & quos pro DEO, & Cœlo impendere non ſolum poteras, ſed debebas? breve, ut ſomnium, tibi nunc apparet totum vitæ tuæ tempus, quod tibi olim tam longum videbatur, ut mille modos illud fallendi quæſiveris! An ſi omnes vitæ tuæ annos in unum colligas, vel quartam, decimam partem te ſic exegiſſe putas, ut oportebat? Plurimum temporis negotia terrena, inutiles confabulationes, ſomnus, & curæ corporis ſibi vendicarunt: pro DEO, pro anima vix aliquid remanſit! Optabis tunc quidem, tot annos nugis male perditos recuperare, quia pretium temporis noſcere incipis; optabis fortaſſis vel unicum diem adhuc habere, ut domui tuæ melius diſponas: ſed mors jam jam inſtans tempori finem imponit. Quare igitur nunc illo melius non uteris? Eodem momento, quo anima corpus deſerit, æternitatem ingreditur! Heu quantum æternitatem inter


& tempus diſcrimen! hoc finitum, illa infinita: tempore, quin quovis temporis momento uti pro arbitrio poteras ad agendam pœnitentiam, augenda merita &c. æternitas congruæ ſolum vel bene, vel malefactorum retributioni deſtinata eſt: prius eras in via, nunc in termino; qui, ſi bonus, æternum bonus, ſi malus, æternum malus! Quam alia longe ſunt nunc animæ ſensa?

AFFECTUS.

Subjectionis & Reſignationis. Moriendum igitur & mihi! Ita eſt. Stipendium peccati mors! ſententia olim in Protoparentes noſtros lata ad omnes, & ſingulos extenditur. Nullus immunis a pœna, quia nullus expers culpæ! Timeo quidem, ſed non recuſo mori! accepto libenter, o DEUS, de manu Tua mortem, peccatis meis toties promeritam! Patiatur corpus, putreſcat caro, fomes, & inſtrumentum tot iniquitatum, fiat abominatio omnibus, quibus placere ſtuduit.

Contemptus terrenorum. Quam miſere cæcutivi hactenus, qui commoda, honores, & temporalia bona tam avide ſum conſectatus! Vere amore hominis Chriſtiani, taceo Religioſi, digna non ſunt, quæ vixdum poſſidentur, pereunt! Parum dixi, nil niſi contemptum merentur; hæc bona, quæ in comparatione

illorum

illorum, quæ expectamus, vix arena sunt exigua. Eja surge anima mea, excutere de pulvere; ut quid terrenis his crepundiis adhæres, quæ ad sublimiora creata es? immola nunc DEO tuo, cum maximo tuo merito, quod paulo post relinquere vel invita cogeris: immola terrena, & DEO fruere. Quid trepidas? nimis avarus est, ait S. Augustinus, cui DEUS non sufficit.

P. II. *Incertitudinem circumstantiarum mortis: Ex quibus adverte maxime ad sequentes:*

1. *Quando morieris?* Tempus & genus mortis incertum est. Nemo novit, nemo scire potest, an subito, an ex morbo præcedente, an sibi præsens, an mentis inops, & in deliriis, an sine, an cum assistentia sacerdotis sit moriturus. Fors in decrepita ætate, fors in ipso juventutis flore, fors post menses paucos, mors te abripiet! Fors hodie sanus, robustus, hilaris cubitum ibis, & cras exanimis in lecto invenieris! Contigit id pluribus, an tibi idem contingere non potest? & si contingeret, an te paratum mors inveniret? an nihil prius in te emendatum velles? Quæ igitur imprudentia, vel unica die in eo statu sponte morari, in quo mori timeres? Ne tardes, monet Sapiens, converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet


lira lius, & diſperdet te! Neminem, quod conſilium hoc ſecutus ſit; multos, quod non ſint ſecuti, pœnituit. Fac nunc, dum potes, quæ moriens ſacta fuiſſe voles! Quâ hora non putatis filius hominis veniet!


2. *Quoties morieris?* Statutum eſt, reſpondet S. Paulus, ſtatutum eſt omnibus hominibus, ſemel mori. Ergo ſi hac unica vice in morte error committitur, is per totam æternitatem corrigi, aut reſarciri non poteſt! In temporalibus negotiis, ſi quis ſemel erret, non deeſt occaſio, non deſunt media, quibus errrorem corrigat, in morte ſi ſemel erratum eſt, conclamatum eſt de ſalute in æternum! Vide utrum ſatis tutum & conſultum ſit in tanti momenti negotio, a quo tota felix, vel infelix æternitas dependet, erroris periculo ſe exponere!

3. *Quomodo morieris?* An mors bona, an mala ſit futura, a gratia DEI, & præterita vita dependet. Si vitam tepidam, ſtatui tuo difformem, peccaminoſam egiſti, habes profecto, quod metuas, ne mala & infelici morte moriaris. Væ, qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Iſaiæ 33. Contra, ſi vita tua pia, peccati expers, vel certe pœnitens fuit, confidere potes, bonam & felicem tibi mortem obventuram: non tamen ideo de bona morte ſe-

ſecurus es. Certus enim non es, quanquam nullius peccati tibi conſcius, utrum coram oculis DEI talis ſis, qualem te putas: propterea dicit S. Paulus: nihil quidem mihi conscius ſum ſed non in hoc juſtificatus ſum; Certus non es utrum gratia, in qua nunc forſitan es, numquam excides. Qui ſtat, admonet idem S. Paulus, videat, ne cadat. Gratiam perſeverantiæ nec DEUS ulli dare tenetur, nec ullus ſibi promereri poteſt. Eſt enim donum mere gratuitum. Quis ergo non metuat? quis ſalutem ſuam cum timore &tremore non operetur,& jugiter ſtudeat finalis perſeverantiæ donum adeo pretioſum tam ferventibus precibus, quam bonis operibus impetrare?

AFFECTUS.

Confuſionis ſui! Ah Domine! omnibus artubus contremiſco, dum omnes has mortis circumſtantias iterum animo revolvo? ſcivi pridem moriendum mihi eſſe, ſcivi, tempus, modum, & eventum mortis ſciri a nemine poſſe, & frequenter hac incertitudine territus propoſita ſalutaria concepi vitæ meæ in melius commutandæ! Sed heu! ultra evanida hæc propoſita numquam progreſſus ſum! Jdem, in quo pridem mori timui, adhuc eſt vitæ languor, & quod pejus eſt, non obſtante hoc languore, mei tam ſecurus vivo, ac ſi de bona morte certus eſſem. Væ mi-

hi! si porro ita vivere pergam! timendum merito, ne improvisa, & infelix mors impœnitentem obruat!

Implorationis auxilii Divini. Pudet me nunc & pænitet, insaniæ vel levitatis meæ! & denuo coram te statuo, vitam meam ita instituere, ut mortem semper ante oculos habens, omni momento mori paratus sim! Sed tu Domine! qui nosti fragilitatem, & levitatem meam, confirma me in hoc sancto proposito! ne permitte me in pristinum veternum relabi, sed flagellis potius, si aliter nolit, morbis, afflictionibus, & adversitatibus languentem ad constantem vigilantiam excita!

P. III. *Differentiam bonæ & malæ mortis.* S: Scriptura mortem peccatoris appellat pessimam, mortem Justi pretiosam inconspectu Domini. Expende paucis utramque.

Mors peccatoris pessima. Nec multo felicior mors tepidi, & laxi Religiosi. 1. Ob angustias, quæ animum illius uno quasi agmine obsidebunt. Jngerent se tunc etiam nolenti peccata omnia, quæ unquam commisit, habitualis tot gratiarum, & obligationum sui status neglectus, occurret jactura temporis, rebus vanis, & inutilibus consumpti. Nimia loquendi, conversandi, & agendi omnia, quæ passio suggessit, licentia; suppressi tot conscien-

tiæ

tiæ remorſus, quos propterea ſenſit, & tamquam ſcrupulos contempſit; Evigilabit ratio fallacibus principiis hactenus faſcinata, & ad lucem cerei mortualis videbit inanitatem excuſationum, per quas ſe diverſis Religionis oneribus ſubtraxit, falſitatem principiorum & dictaminum, quibus errores non leves elevare, & quaſi cohoneſtare ſatagebat. Hæc omnia, quam crudeliter lacerabunt cor miſeri hujus? Jmpletum in ſe ſentiet illud Pſal. 17. 5. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.

2. *Ob Puſillanimitatem*, deſperationi non multum abſimilem, quæ ex prædictis anguſtiis naturaliter oritur. Conabuntur quidem præſentes moribundum ad fiduciam in infinita DEI miſericordia excitare, ſed motiva hæc non ita penetrabunt, ut internam habitualis ſuæ tepiditatis, & laxitatis objurgationem, vivaciſſimam malefactorum memoriam, & timorem judiciorum divinorum valeant extinguere. Unde licet in deſperationem cum magnis peccatoribus non agatur, tam tenuis tamen eſt ſpei radius, qui illi illuceſcit, ut conſolando miſero non ſufficiat.

3. *Ob impœnitentiam*. Non quidem formalem; qualis eſt illa obſtinatorum peccatorum ſed accidentalem, & interpretativam. Cum enim ſeri-


am inordinatæ ſuæ vitæ emendationem inveteratus tepor ſemper impediat, repente a morte, quæ venit ut fur, obrutus, in ſua acedia, & radicatis vitiis moritur; vel ſi etiam quandoque temporis quid ſupereſt, per uſum Sacramentorum maculas animi abſtergendi, id perinde, ut alias, languide, & obiter fieri ſolet adeo, ut vix, ac ne vix quidem ſalutaris pœnitentiæ nomen mereatur. Nempe, ſicut vivimus, ita communiter morimur! Qualis erat hucuſque vita mea? Qualem eſſe imposterum oportet?

Mors juſti pretioſa in conſpectu Domini I. Quia moritur animo pacato, & a rebus terrenis pridem avulſo. Jlle conſiderat mortem, tanquam finem miſeriarum & initium veræ felicitatis: & ideo cupit diſolvi, & eſſe cum Chriſto. *II.* Quia moritur cum humili, & filiali fiducia. Quid enim timeat, qui ſoli DEO vivere in Religione pro viribus ſuis conatus eſt? Tot relatæ de ſe victoriæ, tot per totam vitam collecta merita, & exhauſti labores Apoſtolici replent illum ſuavi conſolatione, quæ eſt prodroma, & quaſi pignus ſubſecuturæ paulo poſt perfectæ felicitatis. *III.* Quia moritur in pleniſſima cum DEO unione & exercitio pulcherrimarum virtutum, quibus ſanus aſſveverat. Nunc ſentit fructum hujus ſanctæ conſvetudinis. Licet morbo pænè conſumptus

ſumptus & extreme debilis ad minimam de DEO mentionem, novum quaſi vigorem ſibi addi ſentit, mentem quam vivaciſſime ad DEUM elevat, ſe totum Illi ex corde offert, prorumpit in tenerrimos affectus &c. Imo etiam ſoli ſibi relictus DEI ſui, quem alias ſibi ſemper præſentem habuit, adeo non obliviſcitur, ut ſæpius cum Illo ſvaviſſime ſermocinari advertatur.

4. Quia moritur in gratia finali, quæ eſt corona perſeverantiæ in exequendis vitæ religioſæ officiis. Moritur ergo, qua amicus DEI, in brachiis, & ſinu DEI, in quo a laboribus ſuis dulciſſime requieſcet in æternum.

AFFECTUS.

Deſiderii & gratiarum actionis. O quam amabilis, quam jucunda eſt mors talis! Utinam, o utinam moriatur anima mea morte Juſti hujus! Sed an ſperare talem mortem poſſem, ſi nunc moriendum eſſet? Scio Domine, non moriturum facile quempiam, ut fervidum DEI ſervum, qui ut fervidus DEI famulus non vixerit; & quoniam clare agnoſco, me non ſolum talem hucuſque non fuiſſe, ſed potius inutilem, tepidum, laxum, quem mors mala certo certius expectaret, ideo infinitæ Tuæ bonitati ex corde gratias ago, quod tempus, mortem mihi feliciorem procurandi, clementer indulgeas! Miſericordia Domini, quod non ſum conſumptus!

Propoſiti Utar, coram facie Tua & coram omni Coeleſti curia firmiſſime ſtatuo, utar melius tempore mihi conceſſo. Nulla poſt hac dies ſine vivaci mortis memoria, & vigilanti cura me ad mortem præparandi abibit. Parum mea intereſt, utrum diu vivam, ſed multum intereſt, ut bene, religioſe, pie vivam, & feliciter ac beate moriar!

DIES TERTIA

MEDITATIO PRIMA.

De Judicio particulari.

1. P. Judicium, quod poſt mortem quilibet homo ſubeundum habet, terribile facit:

1. *Ratio reddenda totius vitæ.* Eo momento, quo anima a corpore ſeparabitur, ſiſtetur Divino tribunali, & cogetur rationem reddere villicationis ſuæ. Aperietur liber Omniſcientiæ DEI & conſcientiæ noſtræ, in quibus clariſſime videbit

1. *Omnes gratias, & beneficia ſibi, a DEO collata, tam quo ad animam, quam quo ad corpus.* Omnia beneficia tam omnibus communia, quam particularia, illorumque ſeu uſum, ſeu abuſum. Siſte hic parumper, & aliqua ſaltem, cum omnia nequeas, mente revolve. Unde eſt, quod

præ

præ tot aliis extractus e nihilo; tam solicite a tuis educatus; tot periculis ereptus vivas? Valetudo bona, vires corporis firmæ, non vulgaria talenta &c. &c. Dona DEI sunt mere gratuita. Non labitur dies, hora, imo momentum ullum novarum gratiarum expers. Hæc omnia dedit tibi beneficum Numen, ut iis suam gloriam promoveas, & finem tuum ultimum facilius certiusque consequaris. Nunc de omnibus & singulis rationem exigit. Formidabiliorem adhuc reddent hanc rationem tot gratiæ & dona spiritualia, quibus te utpote Religiosum cicumvallavit! Vocatio religiosa, tot exempla proborum, quæ tibi quotidie ob oculos versabantur, tot Superiorum salutaria monita, tot bonæ inspirationes, collustrationes intellectus, & piæ motiones voluntatis, tot remorsus conscientiæ, tanta orationum, meditationum & Sacramentorum frequentia quid erant, nisi pretium sanguinis JESU Christi, pro salute nostra effusi, & pignus certum serio, & efficaciter nos salvare volentis DEI? His si aut usus non es, ut debuisti, aut plane abusus, qualis horror te invadet? Quid mirum, si sanguis Christi, cujus pretium sunt, clarius, & terribilius, quam olim sanguis Abel contra Cain, vindictam clamet?

2. *Omnia peccata tam venialia, quam mortalia a primo rationis usu commissa.* Et qui-

 
dem non ſolum propria, ſed etiam aliena: non ſolum opere, ſed & cogitatione, & verbō, & omiſſione patrata. Heu! quam enormis illorum a tot annis numerus exurget? Quam multa ex illis, quæ hucusque levia putaſti, tunc tibi grandia, & enormia videbuntur? Quam multa, de quibus pœnitentiam te egiſſe exiſtimas, ex defectu veri doloris nondum deleta invenies? Quot nova, tibi hucuſque incognita deteges! O quanta confuſio cooperiet faciem tuam, quando tot, tantisque delictis animam tuam conſpurcatam conſpicies? Nunc quidem horres, te penitus inſpicere, ſed tunc etiam invitus fateberis: iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me!

3. *Omnia opera, etiam bona.* Multi, licet memoria ſuorum peccatorum interdum angantur, conſolantur ſe tamen aliquatenus bonis ſuis operibus, quæ non raro exercent. Sed noli in orationibus, Eleemoſynis, mortificationibus, aliiſque virtutum actibus confidere. Ego, ait DEUS per Pſalten regium: etiam juſtitias judicabo; Scrutabor Jeruſalem in lucernis. Illuminabit DEUS abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, ut ait S. Joannes Apoc: 2. Scrutabitur ergo DEUS in operibus piis, quæ videntur, inten-

tiones,

tiones, motiva, affectus, qui non videntur: scrutabitur, an in statu gratiæ, an propter se, & ad augendam suam gloriam, an bene & ferventer peracta sint! Si quæ harum conditionum absit, opus quodcunque aut Cœlo omnino indignum, aut certe minus dignum est. Et quam rara sunt opera, quibus nulla harum deest? Oras in statu gratiæ, sed quam languide, & distracte? das stipem egenti, sed ex naturali tantum commiseratione; illatam tibi injuriam non ulcisceris, sed ex respectu humano &c. An mercedem æternam tibi ex his promittere audes? Audi Gregorium M. & inde rigorem reddendæ olim rationis metire: Justitia nostra, inquit, ad examen Divinæ justitiæ deducta, injustitia erit & sordebit in districtione Judicis, quæ in æstimatione fulgebat operantis.

AFFECTUS

Agnitionis & confusionis sui. Væ mihi misero, quando coram Tribunali Tuo, o Judex divine, comparebo! Quam tristis & confusus stabo, dum infinitum gratiarum & beneficiorum tuorum numerum uno quasi obtutu conspiciam? Media hæc erant, finem meum ultimum certius, & facilius consequendi; & ego illis abusus sum ad perditionem: Illicia erant Te ferventius amandi, Tibi ala-

erius serviendi & ego illa in arma converti, quibus Te impugnem! Quam abominabilis est hæc mea in te ingratitudo? Quo Tu erga me beneficentior eras, eo ego pejor, & audacior factus sum ad multiplicandas quotidie iniquitates!

Vere infixus sum in limo profundi ingratitudinis & malitiæ, & nescivi! Sed nunc video, quam sim miser, & pauper, & nudus, præcipue cum merito metuère debeam ne pleraque mea etiam bona opera tam sinistris intentionibus vitiata, tam languide, & ex consvetudine facta abominatio sint coram oculis Tuis

Doloris Pœnitet, ah pœnitet me tantæ meæ ingratitudinis & malitiæ! Quis dabit capiti meo aquas & fontem Lachrymarum oculis meis ut ignorantias meas, & delicta mea diu noctuque defleam, & abluam omnes animæ sordes, antequam Tu me in Judicium tecum adducas! Ah Domine respice in me & miserere mei.

P. II. *Judicium terribile facit ratio reddenda totius vitæ strictissima.* Præter exactissimam omnium cogitationum, verborum, actionum disquisitionem, sunt & alia, quæ rigorem hujus judicii aggravant.

1. *Quia nullus hic occultationi, excusationi defensioni locus.* Judex terrenus, quomodocunque sagax, non potest semper veritatem, in quam inquirit, detegere. Astutia Rei, sua vera sensa celan-

ſantis, ſagacitas Advocati, quæ ſunt dubia, & ſuſpecta, dextre interpretantis, & excuſationes comminiscentis vero quam ſimillimas, crimen ſibi obiectum aut diluit aut elevat. Non ita coram Judice DEO: Nihil hic tam occultum, quod non reveletur: nihil tam implexum, quod non evolvatur. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Ejus. Anima ſibi ſoli relicta omni defenſore carebit. Præterea, cum arguet te, & ſtatuet contra faciem tuam, tam claram, & diſtinctam cujuslibet vel leviſſimæ culpæ cognitionem animæ communicabit, ut excuſare, utut velit, non poſſit. Cogetur fateri, hoc vel illud ſe feciſſe, ſcienter, libere feciſſe.

2. *Quia nulla hic acceptatio Perſonarum*. Ruſticus & Nobilis, Subditus & Præpoſitus, Dives & Pauper, Rudis & Doctus eundem rigorem ſentient. Hoc Tribunal Inſignia, Honores, Laureas, Aurum non reſpicit, quibus Judices terreni excæcati, vel corrupti multa diſſimulant. Imo quo quis nobilior, altior, doctior, eo peius habebit in Judicio; major his & rigidior præ reliquis eſt ratio reddenda; quia cui plus datum eſt, plus requiretur ab illo. Væ igitur Religioſo, qui tot præ aliis occaſiones, media, incitamenta ad pie & ſtatui ſuo conformiter vivendum habet, ſi omnibus inſuper habitis religioſe & pie non vixerit!

3. *Quia*

3. *Quia nulla intercessionis alienæ spes, nulla deprecationis propriæ fructus.* Propter preces, & lachrymas magnæ Familiæ, propter intercessionem Magnatum crimina etiam maxima non raro supprimuntur, teguntur, condonantur, vel levius saltem puniuntur. Quin & ingenua Confessio delicti, dolorosæ deprecationi conjuncta interdum veniam meruit. Coram Tribunali Judicis nostri sera & inutilis est deprecatio. Tempus misericordiæ elapsum est. Quare igitur nunc non ago, quod tunc egisse nequidquam optabo? At fors patrocinia & intercessiones rigorem Judicis mitigabunt? Sed quis pro te intercedet? Angelus Custos tuus? Cujus monita salutaria audire toties respuebas? Sancti tui Patroni? quibus licet aliqua fors absequia detulisti, moribus tamen te exhibuisti tam dissimilem? Ipsa Mater DEI, peccatorum alias Advocata, manum a te, utpote extra statum viæ posito retrahet!

AFFECTUS.

Accusationis sui ipsius. Quid faciam miser, mihi soli relictus, & tot delictorum intime conscius? Ah cur non perpendi prius, quam terribile sit, incidere in manus DEI viventis! Quoties audivi, & legi, non valituram in Judicio DEI excusationem, Persona-

rum


rum distinctionem, aliorum pro me intercessionem? Quoties in meditationibus, in recollectione annua me timore perculit hæc indubitata veritas; me utpote Religiosum, majoribus & pluribus gratiis præventum, præ sæcularibus rigidius manere judicium, nisi vitam meam tepidam, tot imperfectionibus, imo & peccatis scatentem, dum tempus est, emendavero? Proposui quidem frequentius, sed proposita hæc ánnotasse contentus, idem semper, qui fui ante, mansi, quia securim ad radicem ponere, difficultates in propositorum executione emergentes vincere horrui!

Propositi. Num porro tam tepidus, tot imperfectionibus & peccatis plenus esse pergam? Absit, o Domine! Scio, quod desideria bona, & proposita, nisi executioni dentur, occidant pigrum, & ideo coram Divina majestate Tua firmiter statuo, nunc tandem serió exequendi, quæ pridem statui. Dixi, nunc cœpi! Tu Domine adjuva infirmitatem meam.

P. III. 3. *Judicium terribile facit ratio reddenda severissimo Judici.* Judex hic est justissimus, supremus, & immutabilis. Inde deduces sequentia corrollaria.

1. *Corollarium. Quia justissimus est, bonos quidem liberalissime remunerabitur, malos verò severissime puniet.* Felicem me! si bonis

tunc

 
tunc annumerari merear! Merces mea eris Tu ipſe, mi DEUS, & merces magna nimis! Si malis: infernus domus mea eſt. Quam anceps pendet mea cauſa? Peccavi toties, & non ſcio, utrum amore an odio dignus ſim! Hoc ſcio quod, ſi nunc Te non placavero, non miſereberis tunc amplius, neque parcet oculus Tuus! Nunc ſicut agnus mitiſſimus diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, tunc eris ſicut Leo ferox, & ſicut potens crapulatus a vino inſurges contra inimicos Tuos! Unicum peccatum mortale, pœnitentia non deletum, ſatis eſt, ut ſine miſericordia ejiciar in tenebras exteriores. Minimus nævus acerbiſſimis Purgatorii ignis flammis tamdiu exuritur, donec Juſtitiæ Divinæ ſatisfactum ſit, uſque ad ultimum quadrantem! Hæc Exigit Judicis juſtitia! Heu quantæ, quam diuturnæ pœnæ Religioſum manent, quotidie peccata venialia accumulantem, & parum ſolicitum, ut illa voluntariis corporis caſtigationibus hic expiet!

2. *Corollarium. Quia ſupremus eſt, & immutabilis, non datur ab illo apellatio.* Si in hoc Tribunali cauſa cadis, actum eſt de te. In terrenis judiciis eſt alterum altero ſublimius. Si in inferiori factam mihi eſſe injuriam puto, æquitatem alterius imploro, quod Acta denuo

denuo revideat, ſententiam latam reſcindat, vel mitiget. Si Judex hic ſupremus fert ſententiam, ſors noſtra irrevocabiliter deciſa eſt. Vel regnabimus, vel ardebimus, in æternum! Nulla unquam ſpes recurſus, quia ſupremus, nulla immutationis in æternum, quia immutabilis eſt!

AFFECTUS.

Humiliationis & Timoris: O Judex Divine quam terribile eſt judicium Tuum! cujus ſola recordatio timore, & tremore me replet! Ergo omnia, quæ geſſi in vita mea, & bona & mala diſcuties & in ſtatera appendes! O quantum hæc præ illis præponderarent, ſi nunc, hoc momento utraque bilanci Tuæ imponerentur! Peccatorum & defectuum quantus numerus! quam exiguus contra bonorum operum? Et hæc ipſa quot imperfectionibus vitiata? Nec excuſare errata mea per ignorantiam, inadvertentiam, fragilitatem valeo: debebam ſcire, poteram facere, quæ Tu juſſiſti: gratia Tua non deerat, quæ me excitabat, intus admonebat, & mihi vires abunde ſuffeciſſet, ſi ea uti voluiſſem. Sed animi mei levitas, ſocordia, reſpectus humanus, commoditatis propriæ ſtudium, & minimæ difficultatis ſubeundæ horror eò me ſenſim deduxerunt, ut merito timeam, ne minus habens inventus a Te reprobari merear.

Depre-

Deprecationis Non intra mecum in judicium, o bone JESU! ſed potius patientiam habe in me, infideli hucuſque Servo tuo! Cum Tua divina gratia, quam ſupplex imploro & a Te confidenter ſpero, conabor pro viribus pro commiſſis delictis ſatisfacere, omnem peccati, præſertim gravis umbram cane & angue pejus odiſſe & fugere, in implendas officii mei partes, & colligenda impoſterum merita ſedulo, & conſtanter incumbere, ut audire a Te in Judicio merear: Veni benedicte Patris mei, & poſſide regnum &c.

MEDITATIO SECUNDA.

De Poena damni in Inferno

I. P. *Damnatus in Inferno privatur DEO, ſummo ſuo bono, ſumma ſua felicitate.* Perinde quidem inconceptibile eſt, quam infinitum malum ſit, DEO privari, quam eſt inconceptibile, quam infinitum ſit bonum, DEUM poſſidere. Sed enim dabit nobis intellectus ſanus modum, hoc ſaltem aliquomodo adumbrandi. Perpende ergo ſerio, quid ſignificet, privari DEO!

1. *Damnatus privatur fruitione DEI.* Quam primum anima Cœlum ingreditur, tanta a DEO luce colluſtratur, ut abyſſum Ejus Divinæ Eſ-

ſentiæ

ſentiæ totam, quantum creaturæ eſt poſſibile, perfectiſſime cognoſcat, tantoque inflammatur deſiderio DEO fruendi, ut vel momentanea hujus fruitionis dilatio infinitum mœrorem cauſaret; quia ergo anima hoc bonum ardentiſſime deſiderat, illo perfectiſſime fruitur & de æterna ejus fruitione certa eſt, oritur illi tanta gaudiorum abundantia, & immenſitas, ut reliquæ omnes Paradiſi voluptates, reſpectu illius quaſi evaneſcant. Contrarium invenitur in Inferno. Licet enim anima in primo ſuo in infernum ingreſſu eodem modo illuminetur, ut DEUM perfecte, & Ejus amabilitatem cognoſcat, & inde oriatur tantum Eo fruendi deſiderium, ut minima dilatio ſummum dolorem cauſet, cum tamen ab Ejus fruitione violente repellatur, tanto, tam inexplicabili mœrore, amaritudine, & deſperatione penetratur, ut reliqua omnia inferni tormenta, utut acerbiſſima reſpectu hujus nulla videantur. Verbo: quam magnum & immenſum animæ gaudium eſt in Cœlo, eo quod DEO ſuo fruatur, tanta eſt animæ in inferno deſperatio, eo quod DEO ſuo privetur.

2. *Damnatus privatur cum DEO ſimul omni amore creaturarum.* Beatiſſima Virgo, Angeli Cuſtodes, cæteri Sancti amant homines, quamdiu vivunt; quamprimum vero a DEO



abjecti sunt; & hi illos rejiciunt. Tota æternitate nec curam de illis ullam habent; imo cum gaudio illos in flammis & tormentis intuentur, tanquam victimas justitiæ divinæ, oderunt, maledicunt, rident illos in extremis miseriis constitutos. Ipsæ matres, DEO fruentes, suas damnatas proles, sine commiseratione, ac si illas numquam nossent, considerant. Damnati ipsi inter se non solum omnis amoris sunt incapaces, sed omnem in se furorem, mutuo exercent & sic augentur pœnarum, & tormentorum acerbitates, quæ & in se crudelissima, & ob alias circumstantias, fœtorem, tenebras, horrorem & nauseam ab istis monstris procreatam intolerabilia sunt.

3. *Postquam damnatus DEUM & cum DEO omnia perdidit, incidit in potestatem diaboli.* DEUS nullam ejus curam amplius gerit, deponit ita loquendo omne in illum dominium & arbitrio diaboli illum tradit. Heu! quid fiet tali animæ! diabolus est creatura, implacabile erga hominem odium habens, scientia magna & robore & potestate illimitata prædita: quam diversis & inauditis tormentis excruciare damnatum potest? Imaginare, & repræsenta tibi hic, quidquid est crudelissimum, acerbissimum, & maxime sensibile, quidquid unquam audivisti, vel legisti!

gisti! Omnia hæc nil sunt, nisi umbra tenuissima, respectu illorum, quibus damnatum excarnificabit pro libitu suo. Dominus enim ejus nunc est, & DEUS ab illo recessit.

AFFECTUS,

Confessionis propriæ. O JESU! quam terribilia sunt judicia! quam rigida justitia Tua! Quantum malum est peccatum, & quam amari fructus, quos producit? Abjici in æternum a facie DEI, excludi Cœlo, maledici ab Electis, sub tyrannide diaboli æternum ejulare merces est peccati! An veritatem hanc credidi? Hoc ipsum est, quod malitiam meam auget! Credidi, sufficere unicum peccatum, ad me a meo JESU æternum avellendum! Credidi per momentaneam voluptatem perdi DEUM, & omnem felicitatem: Et tamen peccavi, sine timore libere peccavi! Nescio an cæcitas mea major sit, an malitia! O JESU non auferas a me misericordiam Tuam.

Propositi. Quid facto opus? ad quid me resolvo? Et si mille mihi vitas constaret, Te, mi DEUS, Te finem meum videre in gloria debeo! Te mi JESU! Te Redemptorem amabilissimum amplecti in Cælo debeo; licet pervenire ad Te, nisi per crudelissima tormenta non possem! Fixum est ergo: malo mori millies, quam vel semel adhuc peccare!

Angeli

Angeli DEI! vos ſinceræ hujus meæ voluntatis teſtes invoco; malo mori millies &c.

P. II. *Damnatus in inferno reperit DEUM tanquam ſummum malum.* Sed quomodo poteſt DEUS, qui ſummum bonum & ſola hominis eſt felicitas, maximum malum, & ſumma infelicitas fieri damnato? Conſidera, anima mea, quid DEUS in damnatis operetur, & veritatem clare intelliges.

1. DEUS conſervat in damnatis vivaciſſimam cognitionem ſuæ infinitæ pulchritudinis, & illa fruendi ardentiſſimum deſiderium! Si anima majorem DEI cognitionem in inferno non haberet, quam habuit in terris, privari DEO non eſſet illi pœna tam acerba! Sed quoniam ſuprema luce illuſtrata immenſam felicitatem, qua frui in DEO poſſet, vivaciſſime agnoſcit ardentiſſimis in DEUM deſideriis omni momento rapitur, & toties ab Illo repellitur & dolore incomprehenſibili excruciatur. Magna ſane pœna ſitibundo eſſet, ſi pedibus manibusque ad palum ligatus, nectar dulciſſimum ante ſe videret, nec tamen unquam per dies, & dies bibere poſſet! Subſtitue miſeræ huic paritati quamcumque aliam graviorem, diſcrimen erit ſemper infinitum.

2. DE-

2. *DEUS conſervat iu damnatis viſionem irati Judicis.* Obverſatur oculis damnatorum jugiter tanquam ira maxima, & furore plenus, contra illos armatus, & illis perſequendis, & cruciandis intentus. Hinc deſiderant a facie Illius fugere, ſed quo longius recedere ab Illo optant, eo illis vicinior adeſt, & facit illos ſentire, quam gravis ſit manus Altiſſimi, dum caſtigat! Quanta debet eſſe hæc pœna! Sicut unicus DEI remuneratoris intuitus ſufficit ad replendos omni gaudio Electos, ſic ad terrorem & deſperationem Damnatorum ſatis eſt unicus intuitus Judicsi irati!

3. *DEUS conſervat damnatis vitam.* Damnatis nil magis eſt in votis, quam mors. Quia vident, fieri non poſſe, ut iratus Judex placetur unquam, ſuſpirant, & anhelant mortem, tanquam unicum miſeriarum infinitarum medium & finem. Sed fruſtra: quamdiu vivit DEUS immortalis, tamdiu vivent damnati: Et ſicut DEUS Sanctos ſuos in Cœlo inæternum conſervat, ut illos novis jugiter voluptatibus ſatiet, ita conſervabit damnatos in æternum, ut illos novis continuo tormentis diſcruciet!

4. *DEUS conſervat damnatis ſuam iram.* Millies, & millies peccatis ſuis maledicent infelices reprobi, gement, & ejulabunt tam


lugubriter ut emolliri rupes, & petræ videantur; tantos lachrymarum imbres fundent, ut inundari illis totus mundus posset: tamdiu ardebunt, ut dici tandem possit: illos jam pro peccato quovis mortali mille annorum millionibus arsisse! Omnia hæc iram DEI non mitigant: non movetur DEUS ad commiserationem, odit illos adhuc, & per totam æternitatem odisse perget. Hæc scientes in desperationem aguntur, furunt, corpus suum dentibus dilaniant, blasphemiis Cœlum impetunt, & tanto contra DEUM odio corripiuntur, ut si esset possibile, Illum discerperent, & perderent.

AFFECTUS.

Timoris O quam bonum est, benignum, & liberalem experiri DEUM; sed quam amarum est, experiri Eundem iratum, & rigidum! Quam bonum & dulce, frui DEO in æternum; sed quam terribile DEO in æternum privari! Quid me præservare ab hoc infinito malo potest? Ah! Anima mea, post peccatum nullum jam superest medium, nisi sincera detestatio peccati, vera & constans pœnitentia! Eia ergo, anima mea, consurge, excutere de pulvere, revertere ad Dominum, gemebunda ad pedes JESU prosternere.

Doloris.

Doloris. O mi DEUS, JESU mi dulcissime! abominor, & detestor ex toto corde omnia peccata, quæ in hanc usque horam commisi! Agnosco, quam male egerim! peccatum est summum malum, quia est offensa bonitatis & misericordiæ Tuæ infinitæ; est summum malum, quia est exitium animæ meæ immortalis: & ideo odi illud, & execror ex animo! O utinam nunquam peccassem! O utinam Te, o summum Bonum, nunquam offendissem! Sed enim peccavi, Te finem meum, unicam felicitatem perdidi, & amplius Te, nisi per lachrymas, & pœnitentiam invenire non possum! doleo & dolebo, quamdiu vixero, & quidem ita doleo, ut paratus essem, tormenta quæcunque & mille neces subire, si revocari his, quæ male feci, possent! Et hunc dolorem coram oculis Tuis toties renovatum volo, quoties arteriæ pulsant. Supple Tu o mi JESU! quod ego non possum, & offer Cœlesti Tuo Patri pro me illum vehementissimum dolorem, quem in horto Gethsemani ob mea peccata sensisti.

Propositi. Absit a me, o JESU! ut vel semel inposterum peccem! Si peccatum non aliter vitare, quam per contemptum, opprobrium, & mortem possem, hanc potius eligerem! Malo



contemni, ab omnibus odio haberi, mori, malo ignito lacui immergi, quam peccare! Hinc omnes in futurum horas, singula momenta ita impendam, ut Te DEUM Summum bonum amem, Tuamque in omnibus voluntatem impleam. O JESU! alte cordi meo hoc propositum insculpe, & fac, ut non recedam a Te amplius in æternum.

MEDITATIO III.

De poena Sensus in Jnferno.

I. P. *Pœna sensus in Inferno est terribilis, quoad suam essentiam.* Imaginare tibi anima mea, ac si alta, & tenebricosa nocte in monte altissimo consistens, videres terram infra te aperiri tam magno hiatu, ut ipse se infernus tuis oculis conspiciendum offerat! Est hic subterraneus carcer petris, & rupibus undique bene septus, igne sulphureo repletus, & mephitim intolerabilem exhalans! In hoc carcere damnati arcte invicem compacti jacent, sicut lateres in fornace, in qua exuruntur. Considera, qualis sit ignis iste, qui damnatos exurit.

1. *Iste ignis est universalis, & cruciat totam animam, & totum corpus.* Jacet in inferno damnatus illo loco immobilis, quem illi Justi-

tia divi-

tia divina aſſignavit, undique cinctus, & circumdatus ignibus, ſicuti piſcis aquâ. Caput, oculi, aures, os, labia, genæ igne penetrantur: brachia, pedes, tergum, pectus igne depaſcuntur: omnia corporis membra, ut ferrum candens, ignita ſunt. Locus in quo jacet, cibus & potus, quibus utitur, aura quam attrahit, omnia quæ videt, & tangit, eſt ignis. Nec dum ſatis. Jgnis eſt abintus, ſicut ab extra, ignis eſt in cerebro, in dentibus, in lingua, gutture, pulmonibus, corde, nervis & venis, oſſibus, medulla oſſium, & ſanguine. Quod adhuc terribilius; hic ignis eſt in intellectu, voluntate memoria: omnes potentiæ animæ ab hoc igne pervaduntur, & intime penetrantur. Si furno æneo ita catenis adſtrictus eſſem, ut toto quidem corpore extra ignem poſito, unum tamen brachium ignibus exureretur & exureretur mille continuis annis! DEO per miraculum me in vivis conſervante, quam intolerabilis eſſet iſte cruciatus, & dolor? Quid ergo erit, non una ſui corporis parte, ſed toto corpore, tota anima, ſingulis artubus, ſingulis potentiis circumdatum eſſe igne & inceſſanter exuri?

2. *Hic ignis eſt longe terribilior, quam ſibi quis imaginari poſſit.* Ignis hujus mundi qualis-


qualiscunque, non eſt, niſi umbra illius infernalis! Nam quia juſtitia DEI illo tanquam inſtrumento utitur ad vindicandas injurias ſuæ infinitæ Majeſtati illatas, & quia ad has pro condigno puniendas, nullus ignis terrenus ſufficit, indidit igni infernali ferme infinitam, & talem virtutem, quam intellectus nullus capere poſſit. Sed quomodo urit hic ignis? Ita, dicunt Aſcetæ, ut ſi ſcintilla illius unica in lapidem molarem, in globum æneum decideret, hic in momento, ſicut cera liquesceret, ille in pulveres redigeretur: ita, ut ſi ſcintilla in lacum frigidiſſimum, aut glacie conſtrictum incideret, lacus hic momento ebulliret;

3. Subſiſte hic pauliſper anima mea, & reſponde mihi! En! adeſt ante te bos e metallo fuſus, ſupponitur illi ignis magnus, fit candens: ex altera parte oſtenduntur tibi, & offeruntur omnes mundi voluptates, divitiæ, honores, ſi vel mediam horam in candente hoc bove tranſigere velis, quid eligeres? vel ſi revera integro regno, & cum hoc immenſis bonis, honoribus, & omnis generis voluptatibus fruereris, ſed ab hoſte ſuperveniente captus cogereris aut regno te abdicare, aut per mediam horam in ignito bove æneo clauſus perſiſtere, quid, quæſo, eligeres? reſpondebis, ſcio, te ſine hæſitatione, regno

gno, & omnibus bonis cum illo connexis cedere malle, malle te omnem vitam in extrema paupertate, contemptu, miſeria agere, quam eſſe tam amentem, ut tormentum tam acerbum eligas, etiamſi præſcires, Dominum DEUM tibi per miraculum vitam conſervatu-rum eſſe. Converte nunc a temporalibus mentem tuam ad æterna! ad evitandum tormentum in bove candente reſolveres te ad carendum omnibus bonis, quantumcumque tibi charis & amænis, & ad perferenda quæcumque ardua. Cur ita non loqueris, & agis, dum agitur de æternis? non bovem æneum, & ad breve tempus, ſed carcerem igne infernali plenum, & æternum minitatur Tibi DEUS; an ergo non omnibus ab Illo vetitis, quantumcumque amænis, & charis libenter te abſtinere, & aggredi, ac perferre omnia, licet maxime ardua, ſed ab Illo præcepta deberes?

AFFECTUS.

Timoris. Has omnes veritates, o mi DEUS, novi pridem & credidi. Sed an vita fidei meæ erat conformis? Ah peccavi, infernum meritus ſum, & per quid? An mihi, ſi peccem, regnum oblatum eſt? an mors intentata, ſi peccare renuam? Ah non: Tu ſcis, o DEUS meus, & ego novi, & pudet me nunc, propter


ter rem exiguam, vilem, peccatis, & inferno obnoxium me feci! tam cæcus, tam amens, & vecors, tam crudelis fui erga me ipſum! Sed quæ impie hucuſque facta ſunt a me, ſpero, ignoviſti mihi, o miſericordiarum Pater! Quod me terrore, & timore replet, eſt: poſſum denuo peccare, in peccato mori, & damnari! Inclinationes malæ, quæ me olim ſeduxerunt, vivunt adhuc, inſurgit adhuc immortificata caro contra ſpiritum; adhuc peccare & damnari poſſum!

Implorationis gratiæ. In hac terribili incertitudine conſtitutus, oculos & manus ad Te extollo ad implorandam humillime & ardentiſſime Tuam infinitam miſericordiam! Amabiliſſime Pater! DEUS meus & omnia! JESU dulciſſime, redemptor benigniſſime! reſpice vulnera Tua, quæ mei cauſa Tibi inflicta ſunt, memento ſanguinis pro me effuſi! longanimitatis Tuæ, qua meam impietatem tamdiu patienter ſuſtinuiſti, miſericordiæ mihi toties exhibitæ, bonitatis paternæ, qua me præ tot aliis in domum tuam, in Religionem vocaſti; amoris, quo me poſt tantum gratiarum Tuarum abuſum, adhuc hodie ad perfectiorem vitam invitare dignaris! Quid? an hæc omnia in me perire ſines? peribunt autem certe, ſi mei miſertus non fueris!

Ah:

Ah! JESU! converte illos tuos benignos, &
vere paternos oculos in me, & salva me!
Nunquam fortassis habuit majorem exultandi,
& misericordiam Tuam superexaltandi causam
Cœlum, quam si mei post tot mea pecca-
ta miserearis!

P. II. *Pœna sensus in inferno est terribilis*
quoad durationem. Duratio hæc est omnium,
quæ sunt in inferno, terribilissima. Damnatus
privatur DEO in æternum, ardet in infer-
no in æternum. Sed quid est æternitas? nec
Angeli comprehendunt: sed tamen ut secun-
dum nostrum concipiendi modum saltem ali-
quid dicamus, considera has duas veritates.

1. *Æternitas est sine fine.* Hæc est illa stu-
penda veritas, quæ etiam maximos sanctos
timore, & tremore complevit. Veniet ultimi
judicii dies, peribit mundus, absorpti a terra
reprobi in infernum cum corpore & anima
detrudentur: & DEUS omnipotenti sua ma-
nu carcerem hunc infernalem seris æternis
occludet. Labentur tot sæculorum millia, quot
folia arbores, quot arenulas maria, quot ato-
mos àér habet. Et post lapsos annos tam
innumerabiles, quid erit? Æternitas! nulla sui
parte imminuta, & post denuo repetitos tot
annorum milliones nihil imminuenda! Arse-
runt hucusque damnati: nunc quasi de novo
ardere


ardere incipiunt & nunquam ardere cessabunt! O æternitas, quis te comprehendere valeat? quis non timeat?

Jmaginare tibi infelicem Cainum unicam omni anno millesimo Lachrymulæ guttulam in inferno fundere. Ergo, cum ultra 5000 annos sit in inferno, fudit hucusqué guttas 5. Quantus, quam ineffabilis annorum numerus fluet, donec lachrymæ illius tandem in fluvium excrescant? Donec valles terræ omnes impleant! Donec orbem totum inundent! Donec totum spatium inter terram, & firmamentum lachrymis plenum sit! O DEUS. quantus, quam ineffabilis annorum numerus ad hoc requiritur? Et tamen o Veritas incomprehensibilis, sed tamen tam certa, quam certum est, DEUM mentiri non posse: Et tamen veniret tandem tempus,quo Caini lachrymæ totum hoc spatium immensum replerent: Jmo, etsi DEUS omnes has ex lachrymis Caini massas aquarum annihilaret, & Cain flere dénuo inciperet, repleretur post annorum, & annorum milliones totum hoc terram inter, & firmamentum spatium rursus, & repleretur centies, millies &c. Et postquam toties esset impletum, æternitas nulla sui parte est imminuta! Est, quasi nunc primo inciperet, & durabit sine fine, sine fine.

2. Æter-

2. *Æternitas est sine interruptione & refocillatione.* Exiguum revera esset damnatis commodum, & solatium, si post singulos mille annos modica eis refocillatio concederetur! Imagineris tibi tres damnatos, quorum quisque alia, sed æque gravia tormenta sustinet. Primus, verbi causa, lacui igne sulphureo pleno innatat; secundus ad petram ferreis catenis adstrictusa duobus diabolis misere torquetur: tertius itidem ita alligatus, ut movere se nullo modo possit, a duobus immanibus serpentibus toto corpore depascitur. Horum miseretur DEUS, & post singulos mille annos refocillationem illis aliquam indulget, in hoc consistentem, ut ad horam a tormentis, & cruciatibus liberis haustus frigidæ propinetur: hac vero elapsa, priores iterum pœnæ infligantur. Quantulum esset hoc solatium mille annis pati, & unica hora respirare! Sed nec hoc in inferno conceditur! Semper, & ininterruptim ardere, semper & ininterruptim a DEO odio haberi, a cœlo, & inferno maledici, est essentiale malum, quod patiuntur damnati. Omnia ibi sine auxilio, sine remedio, sine interruptione, sine refocillatione, sine fine! in æternum, in æternum!

AFFECTUS.

Gratiarum actionis. Nunc o mi DEUS! nunc intelli-

intelligo, quid ſit infernus, quid æternitas! Infernus eſt locus horrendorum cruciatuum, mœroris, & deſperationis extremæ; eſt locus, quem ego peccatis meis merui, & in quo dudum habitarem, niſi me immenſa DEI miſericordia ſervaſſet! Hæc, o mi, Deus, millies repetam: Cor JESU me amavit, alias jam nunc eſſem in inferno! Miſericordiſſimus JESUS mihi pepercit: alias hac hora, hoc momento eſſem in inferno! pretioſus JESU Chriſti ſanguis cœleſtem Patrem placavit: alias jam nunc eſſem in inferno! Hoc canticum laudis Altiſſimo canam in æternum! Miſericordia Domini, quod non ſum conſumptus. Miſericordias Domini in æternum cantabo.

Doloris. Sed quam gratum me infinitæ huic Illius bonitati hucuſque exhibui? Poſt tantum beneficium totum cor meum Illi donare, & Illum ſolum ardentiſſime amare debuiſſem! debuiſſem in omnibus meis operibus Illius ſolius honorem, & beneplacitum quærere, omnes adverſitates ab Illo mihi immiſſas hilariter perferre, ut amorem amore compenſem: quid enim minus facere poteram pro tam inſigni beneficio? An feci? O ingratitudinem novo inferno dignam! Te o mi DEUS, corpori, voluptatibus, & creaturis poſtpoſui, miſerationes Tuas novis peccatis et in-

juriis

juriis compenſavi! O! agnoſco malitiam, & ex corde deteſtor! & utinam ſatis deteſtari poſſem! Miſerere mei, o mi JESU, miſerere mei! En nunc denuo, ſed firmius, quam unquam ſtatuo...

DIES QUARTA.

MEDITATIO PRIMA

QUI FRUCTUS EX MEDITATIONIBUS HUCUSQUE FACTIS EXCERPI DEBEANT.

Perpendimus hucuſque, quæ mala illos maneant, qui finem ſuum ultimum per peccatum perdunt. Sed quid cognitio hæc proderit, ſi media non arripiamus quibus nos ab his malis præſervare, & finem noſtrum certo aſſequi poſſimus? Quid ergo facto opus? omnia tibi ob oculos ponam; tu attente ſingula tecum expende.

P. I. *Primus fructus eſſe debet, perfecta, & conſtans deteſtatio peccatorum hucuſque commiſſorum.* Qualis eſt nunc conſcientia tua? Si hoc momento Angelus de Cœlo deſcendens tibi diceret: diſpone domui tuæ: poſt horam enim morieris, & coram Tribunali Divino comparebis; quo animo nuncium hoc ferale exciperes? An in hoc, in quo nunc

verſaris,


verſaris, ſtatu auderes mori! An tuæ confeſſiones hucuſque erant tales, ut jure confidere poſſis, remiſſa tibi eſſe peccata tua? An nil eſt, quod illa hora te angere queat? verbo: an in hoc conſcientiæ tuæ ſtatu mori auderes?

Reſponde, ſed ſincere coram DEO! Scito anima mea! primus ad DEUM greſſus; primus ad ſanctitatem, & quietem animi gradus eſt, per veram pœnitentiam in eo ſtatu ſe collocare, ut morte etiam repentina e mundo rapta comparere coram divino Judice auderes? Ad hunc ſtatum ut pervenias, ſequentia duo propoſita ſunt neceſſaria.

1. Propoſitum: Tempore exercitiorum (ſi prius factum non eſt) cum tanta examinis accuratione, tam frequenter repetita cordis contritione, tam magna oris ſinceritate confeſſionem peragere, ut conſcientia teſte dicere poſſis: Feci, quæ DEUS ad impetrandam peccatorum veniam poſtulat, omnia. Nunc faciem Judicis ſubire non timerem! O quantum ſolatium, quanta quies animæ, quam certa ſalutis ſpes oritur ex tali confeſſione!

2. Propoſitum: Aſſecuratus hoc modo de actuali DEI gratia, & futura gloria (quantum nempe homini in hoc mundo poſſibile eſt) omnem impoſterum confeſſionem tota vita

cum

cum tanta diligentia peragere, ac si revera foret tibi ultima!

P. II. *Secundus fructus debet esse, ut conemur Justitiæ divinæ satisfacere pro commissis peccatis, quantum possumus.* Reflecte te adhuc semel ad cruciatus inferni, quos considerasti, & perpende sequentia! En hoc momento penetrat hunc carcerem radius divinæ misericordiæ, & vox insonat Cainum ita alloquens: mille annis arsisti jam in his flammis; miserebor nunc tui, sed hac conditione ut reversus in mundum omnes dolores, morbos, injurias, adversitates amore mei æquo animo perferas; id si facias, remittam tibi peccata tua, & salvabo te! O quali gaudio exultaret Cainus? responderet certe cum alacritate maxima: libenter, o infinita bonitas, o immensa misericordia, libenter, & cum gaudio mille annis sustinebo, quidquid ullus unquam mortalis sustinuit, dummodo veniam obtinere, & in gloriam Tuam tandem intrare merear! Jam dic anima mea! an non merita es, sicut Cainus, detrudi in infernum? an hæc gratia, quam tibi contulit DEUS, dum tempus pœnitentiæ indulsit, non perinde magna est, quam si te ex inferno extraxisset? Cur ergo non conaris, veram pœnitentiam agere, dignos pœnitentiæ fructus facere, &


re, & per generosam patientiam in adversitatibus illas injurias compensare, quibus eum per peccata tua affecisti? Proposita huc facientia sunt.

1. *Propositum.* Illis mediis, quæ DEUS ad satisfaciendum pro peccatis ordinat, cum omni diligentia, & fervore uti. Præcipua ejusmodi sunt: Sacramentum pænitentiæ, Sacrificium Missæ, Indulgentiæ, frequentes actus contritionis, mortificationes, & opera pœnalia omnia.

2. *Propositum.* Difficultates statui nostro annexas, & proprias, omnes adversitates, a divina Providentia nobis immissas, ex puro DEI amore patienter ferre. Quoties talis adversitas ingruit, in tale vel simile suspirium prorumpe: O misericordissime DEUS! terribiles, & æternos in inferno cruciatus merui, & levem hanc, & momentaneam adversitatem ferre recusem?

P. III. *Tertius fructus est*, ut conemur omnia, imposterum venialia peccata serio vitare, præsertim illa, *quæ viam sternunt ad mortalia.* Non sufficit propositum eligendi prius mortem, quam peccatum grave, sed requiritur etiam propositum serium venialia evitandi. Qui hoc non habet, nunquam securus est. Nil certiorem nobis salutis obtinen-

dæ

dæ spem instillat, quam continua cura & solicitudo cavendi a minimis peccatis, & universalis quidam fervor ad omnia vitæ spiritualis exercitia se extendens: fervor in oratione, & conversatione cum DEO, fervor in se vincendo, & mortificando, fervor in humilitate, & obedientia, fervor in abnegatione propriæ voluntatis, in amore DEI, & proximi. Qui ad hunc fervorem aspirat, vel illum in se conservare cupit, debet necessario propositum serium elicere, a sequentibus venialibus se æternum abstinendi: nempe, 1. Nullam malam suspicionem, judicium vel contemptum proximi in cor admittendi, multo minus retinendi. 2. Non fovendi iram, vel impatientiam. 3. De erroribus & defectibus alienis non loquendi. 4. Non omittendi sua spiritualia ex torpore, vel illa cum deliberata negligentia peragendi. 5. Nullum inordinatum amorem in se fovendi, nullam scienter occasionem dandi impuris phantasiis, & cogitationibus, & si præter opinionem oriantur, illas cito ejiciendi. 6. Sibi ipsi non vane complacendi, vel alios contemnendi. 7. SS. Sacramenta nunquam tepide, vel sine debita, & seria præparatione sumendi. 8. Adversitates undecunque advenientes non cum impatientia, & murmure, sed tanquam



a DEO in bonum noſtrum immiſſas æquo animo perferendi. 9. Nunquam coram illis, quorum intereſt ſcire, ſuas inclinationes, defectus, mortificationes &c. occultandi, vel ſe alium ſimulandi. Anima mea; ecce ſtamus in conſpectu DEI: ego, dum hæc ſcribo, & tu, dum legis! Ego de doctrinis hic tibi traditis, & tu de obedientia, vel inobedientia præſtita rationem dabimus. In hujus ergo DEI noſtri conſpectu tibi dico: ſi non ſerio ſtatuis ab his te venialibus abſtinendi, nec minimum ex his exercitiis fructum capies: nunquam vel infimum perfectionis gradum aſcendes, nunquam ad quietem animi, nunquam ad eum ſtatum pervenies, ut mortem ſine timore expectare poſſis. Si autem ad hæc ſerio vitanda te reſolvis, procide in genua, ſtringe manibus Crucifixum, & illi tua propoſita offer:

Deus meus! Amor meus Crucifixus! Chriſte JESU! Per Tuam miſericordiam illuminatus nunc agnoſco, quid ſit, Te poſſidere in æternum, & Te in æternum privari! O me felicem, ſi Te invenero! Si perdidero, infeliciſſimum! Agnoſco, quod illud ſperare nunquam poſſim, & hoc timere ſemper debeam, quamdiu me totum Tibi non tradidero, minima peccata cane pejus & angue fugere, & Tibi cum fervore ſervire non incepero!


Sit ergo

Sit ergo: Te, o mi JESU, ſummum bonum, & ſuper Cœlum, & terram, Angelos & homines amari digniſſimum amo ex intimo corde, & amare Te opto, ſicut Seraphini Te amant! Ad Te o mi JESU, tanquam finem meum ultimum, unicam meam felicitatem, & omnium deſideriorum meorum metam ſuſpiro te amplecti, & quidem in æternum deſidero, & volo, quidquid conſtet, Coram conſpectu ergo Tuo firmiſſime ſtatuo hæc propoſita inviolabiliter. & conſtanter obſervare, & ab illis nunquam recedere. O mi JESU! per vulnera Tua, per ſanguinem pretioſiſſimum Te obteſtor, corrobora infirmitatem meam, & da gratias efficaces, ut in his propoſitis, quæ Tibi humillime per manus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris Tuæ offero, conſtans, & immobilis perſeverem!

MEDITATIO SECUNDA.

DE REGNO CHRISTI.

Cum hac meditatione incipit ſecunda exercitiorum hebdomas, ſeu via illuminativa. Finis hujus hebdomadis eſt ſequens. In prima hebdomade deflevimus peccata noſtra, & ſtatuimus impoſterum ex corde DEUM amare, & totis viribus finem noſtrum ultimum

attingere; quoniam vero cæci ſummus, & viam ignoramus. quâ ſecuri eo pertingere poſſimus dedit nobis Pater æternus Filium ſuum unigenitum Ducem, qui nobis viam oſtendat, & exemplum, quod ſequi debeamus. Finis ergo hujus hebdomadis eſt ſeria reſolutio Chriſtum ſequendi.

P. I. *Chriſtum ſequi eſt æquum.* Duæ cauſæ hanc æquitatem clare tibi ante oculos ponent. Conſidera illas bene. *Prima cauſa eſt finis, ob quem Chriſtus in hunc mundum venit.* Quam malo in ſtatu fuiſſet mundus, ſi Chriſtus non veniſſet? Primi noſtri Parentes lapſi ſunt, & propterea tam illi, quam nos jure ad Cœlum privati ſumus: Ex tot mille hominum millionibus, ab initio uſque ad finem mundi nec unicus ſalvari, & intrare Cœlum potuiſſet! Quanta noſtra infelicitas, & miſeria? Quemadmodum nullus ſalvari, & intrare Cœlum, ita nullus DEUM laudare, & glorificare in æternum potuiſſet! Quanta gloriæ DEI externæ jactura! Poſtquam autem Chriſtus venit, omnibus reſeratum eſt Cœlum, portæ patent, dummodo Illum ſequi velimus: in Cœlo jam actu nunc ſunt innumerabiles Sanctorum turbæ nomen DEI in æternum laudantium, & glorificantium! An ullus eſſe poteſt ſublimior finis, quam æterna DEI gloria, æterna hominum felicitas? Secun-

Secunda causa sunt conditiones, sub quibus nos ad sui sequelam invitat. Reges hujus mundi in palatiis suis resident, & si quis durior labor suscipiendus, si quæ exhauriendæ sunt difficultates, vel subeunda pericula, non id per se, sed per famulos suos, aut subditos faciunt. Longe aliter res se habet cumChristo; nolo, ait Ille, ut qui me sequuntur, viliore, quam ego, vestitu, habitatione, victu utantur. Nolo, ut plus laborent, plus patiantur, quam Ego Nolo, ut illi in quocunque opere primi sint; ego semper, & ubiqué præcedam, & aliud non desidero, quam ut me sequantur. Quam miræ hæ conditiones? JESUS est innocens: ego tot peccatorum reus; JESUS est supremus Dominus, ego cinis & vermis! Tuum est Cœlum o JESU! omni jure, ego infernum mereor. Et tamen Tu non vis, ut plus, quam Tu, laborem, aut patiar? hoc solum a me desideras, ut te præeuntem sequar!

AFFECTUS.

Gratiarum actionis. O mi JESU! si, dum ad Tui sequelam me invitas, alium finem non haberes, quam gloriam & honorem Patris Tui Cœlestis, satis jam obligatus essem ad obediendum Tibi: Ille enim est supremus Dominus, summum bonum: pro Illius honore tenerer sanguinem meum fundere. Sed præ-

ter glo-

ter gloriam Patris Tui habes & alium finem, ſalutem æternam animæ meæ! Invitas me ad Tui ſequelam, ut æquali Tecum gloria, æquali felicitate in Cœlo fruar! O quantas Tibi laudes, & gratias, quantam gratitudinem debeo!

Propoſiti. Statutum eſt o mi JESU! cum in hoc ſitam eſſe gloriam tui SS. Nominis, & ſalutem animæ meæ cognoſcam, volo Te ſequi, volo ſequi, quantum poſſum, perfectiſſime, volo ſequi, quomodocunque naturæ meæ difficile accidat! Ego ſum creatura peccatorum plurimorum rea, creatura a Te ex nihilo extracta, inferni pœnis digniſſima, quomodo agere & pati renuam, quæ Te, Cœli, terræque Dominum, Sanctitatem eſſentialem, Redemptorem, & DEUM meum agentem vel patientem video? Abſit a me, o JESU, tanta inſania! Tua vita erit norma vitæ meæ, ſicut videro, quod Tu ambulaveris, ſic & non aliter ego ambulabo!


P. II. *Chriſtum ſequi eſt facile:* duo ſunt, quæ hanc Chriſti ſequelam facilem reddunt. Perpendamus utrumque, *Primum, quod ſequelam Chriſti facilem reddit, eſt interna quies animi, gaudium, & conſolatio, qua Chriſtus etiam in hoc mundo ſequentes ſe remuneratur.* Nec Chriſtus in terris converſans meras cru-

ces,

ces, & afflictiones habuit: habuit etiam ſuas conſolationes. In ſua Nativitate homines quidem in ſtabulum illum confugere coegerunt; ſed deſcenderunt de Cœlo Angeli, & gloriam Illius Mundo annuntiarunt. In deſerto malus dæmon illum tentare auſus eſt: ſed Angeli accedentes miniſtrabant ei: Blaſphemabatur, & conviciis onerabatur, dum prædicabat; ſed in monte Thabor gloria circumdatus apparuit. De torrente enim illo voluptatum, quo per viſionem DEI intuitivam ſingulis vitæ ſuæ momentis perfundebatur, dicere, ſupervacaneum judico. Si ergo vita Chriſti in terris non ſemper cum adverſis conflictabatur: nec tua conflictabitur Hanc enim conditionem aperte addit: Nolo, ut plus quam ego, patiantur. Imo, quo accuratius & perfectius Chriſtum ſequeris, eo pluribus conſolationibus perfrueris. Audi clara Illius verba, fallere neſcia: Jugum meum ſvave eſt, & onus meum leve. Prope JESUM eſſe, ſemper dulce eſt, etiam in medio adverſitatum: procul eſſe a JESU, etiam in mediis voluptatibus, ſemper amarum. Certe, ſi vel guttula conſolationis de Cœlo decidit, cadit in cor hominis, Chriſtum fideliter ſequentis.

2. *Quod facilem reddit Chriſti ſequelam eſt gloria, & felicitas immenſa, qua in altero*

mun-



mundo ſe ſequentes remuneratur. Poſt aliquot annos ero in Cœlis! quam dulcis eſt hæc cogitatio, & quam tolerabiles reddit omnes miſerias! Imaginare tibi, ac ſi adſtaret lateri tuo Chriſtus gravi cruce onuſtus, & benignis te oculis intueretur: imaginare tibi, ac ſi eodem tempore Cœli coram oculis tuis aperirentur, & oſtenderetur tibi jn illo elevatus ſupra multus Electorum milliones thronus tantæ pulchritudinis, quantam nullus unquam oculus vidit, & ac ſi dein Chriſtus te ita alloqueretur: En! thronus iſte tibi paratur; tu illum occupabis, ſi paucis annis me ſecutus fueris. Anima mea! ſi tale ex ore Chriſti promiſſum audires, an non cum gaudio Illum ſequereris? an te non conſolaretur, & faciles redderet labores tuos omnes? Sed quare ſola fides id non efficit, quod efficeret talis viſio? Fides utique te docet, manere te, ſi Chriſtum ſequaris, regnum Cœleſtè, æternum, omnibus voluptatibus, & deliciis affluens!

AFFECTUS.

Fiduciæ. Credo, o mi JESU jugum Tuum ſuave eſſe, & onus leve: hoc enim effatum ex ore Tuo proceſſit, qui es æterna veritas, fallere neſcia! Quod mihi difficilem reddit Tui ſequelam, eſt ſolus amor proprius, & mea puſillanimitas, O ſi ſerio me vincere, & ve-

vestigiis Tuis insistere vellem, quam cito veritatem promissi Tui experirer! Et revera, quam miseram & tristem vitam ducere videbantur illi, qui olim eremum, & horridos specus incoluerunt? Et tamen quantis deliciis corda illorum affluebant? quam tristem vitam agere videbantur tot alii, qui maximam vitæ partem inter persecutiones, injurias, contemptus, adversitates exegerunt? Et tamen an non ii ipsi erant, qui DEO intima familiaritate conjuncti, tantis ab Illo consolationibus cumulati sunt, ut præ gaudio vix capere se possent? An me solum, si Illum fideliter sequar, sine solatio relinquet? Ah non me relinques, o JESU! spero & confido in Tua misericordia' hæc facilem mihi reddet Tui sequelam! Hac spe fretus propono..

P. III. *Christum sequi est necessarium.* Si ut spero, seriam voluntatem habes, perfectionem attingendi, summe necessarium est, ut Christum, quantum est possibile, sequaris, & quidem in omnibus. Si vis perfectus esse, ait Christus ad illum Juvenem in Evangelio, veni, sequere me. An credis hanc veritatem? Fides, & cognitio tibi non deest, sed via aspera, qua Christus ambulabat, te deterret. Sed quacunque via Christum sequi necessarium est. Nam



1. *Christus est infinite sapiens, & verax.* Christus venit in hunc mundum, ut tibi viam ad Sanctitatem ostendat; An negare hoc potes? Jam audi: si securior, & melior esset ad Sanctitatem via, quam illa, quam ipse nos docuit, nec esset infinite sapiens, quia illam non scivisset; nec infinite verax, quia illam nobis non indicasset. Sed quis hæc sine blasphemia vel cogitare audeat?

2. *Christus est infinite bonus.* Ille amat homines, & non vult illos sine causa cruciare, affligere, & onerare; quid inde sequitur? si amæniorem, ac faciliorem ad Sanctitatem, & finem nostrum ultimum consequendum viam, & simul perinde aptam, ac securam, quam est illa aspera, novisset, illius in nos amor non admisisset, ut tam arduam nobis, præ facili designaret. Sed enim novit DEUS nostri amantissimus, mille periculis obnoxiam esse viam amænam, & ad interitum deducere: ideo asperam ostendit, ideo eadem ipse ambulavit, ideo invitat etiam nos, ad se in illa sequendum. Siste hic modicum, anima mea, & te ipsam sic alloquere: Duo tantum pro me sunt loca, unus infelicissimus, & miserrimus, nempe infernus, alter felicissimus, & amænissimus, Cœlum.

Ad hæc duo loca duæ tantum ducunt viæ:
lata, & commoda, & amœna, qua plerique
mortalium ambulant, ducit ad infernum: an-
guſta, & aſpera, qua Chriſtus cum paucis
Electis ambulat, ducit ad Cœlum. Hæc eſt
veritas, quam Chriſtus ipſe docuit. Nemo
venit ad Patrem, niſi per me, id eſt: ne-
mo pervenit ad Cœlum, niſi hac via qua
ego ambulavi! Quid ergo ego faciam? quam
viam eligam?

AFFECTUS

Doloris. O mi JESU! quam parum ſola-
tii invenio, dum vitam meam hucuſque
actam conſidero? Adoravi Te quidem hacte-
nus ut DEUM, ſecutus non ſu[illegible] illas vir-
tutes, quas tu jugum ſuave, & onus leve
vocas, nimis duras, & infirmitati meæ inſup-
portabiles judicavi! injurius per hoc fui Tuæ
ſapientiæ & bonitati; illam quodammodo ar-
gui, ac ſi neſciret, quantum ferre poſſem,
hanc vero, ac ſi imponere mihi nimium
vellet! O mi JESU! Dux, & Magiſter meus!
agnoſco errorem, & malitiam meam, eam-
que ex corde deteſtor! O quam Beatus, &
felix eſſem, ſi ſemper ſecundum ſpiritum Tuum,
& hac via, qua Tu ambulaſti ambulaſſem!

Oblationis ſui ipſius. Tu es via, veritas &
vita, o mi JESU! Tibi me nunc totum ex corde
tra-



trado, volo vestigiis Tuis insistere, volo ambulare eadem via, qua Te ambulasse videro. Præcede me mi JESU! & ducem Te mihi exhibe! Si deduxeris per viam dolorum, & adversitatum, Te sequar; si per ignominias, & contemptus, Te sequar; si per subjectiones humiliationes & annihilationem propriæ voluntatis; Te sequar. Ubi Tu es, volo esse & ego! Quod Tu facies, volo & ego facere! quod Tu pateris, volo & ego pati! Hoc unum Te rogo, auxilium Tuum, & gratias efficaces, mihi suppedita.

MEDITATIO TERTIA.

DE

INCARNATIONE, NATIVITATE CHRISTI & MIRA IN HIS MYSTERIIS HUMILITATE.

1. P. *Christus in sua Incarnatione, & Nativitate se exinanivit totaliter.* Aliquas tantum hujus exinanitionis circumstantias attente perpende.

Primo. exinanivit se assumendo naturam humanam. Ut quanta sit hæc, & quam mira exinanitio, vel modicum concipias, rem in similitudine aliqua considera Finge tibi animo Regem quemdam hujus mundi sapientissimum, ditissimum, potentissimum, & omnibus

bus talentis, Principem talem decentibus, instructissimum, qui a Nobilitate, ab exercitu, a toto populo ut Pater amatur: & cui ad felicitatem omnino nihil deest. Hic Monarcha ponit purpuram, regno & terris suis excedit, vilissimo indutus amictu, suam operam alieno in regno locat rustico, & his in obsequiis usque ad mortem ignotus delitescit. Quis hujus Regis annihilationem mirari satis queat! Anima mea! vivam fidem a te exigo, & interrogo: quis est amabilis ille Pusio in Stabulo Bethleemitico? est unigenitus filius Patris Cœlestis, Dominus Exercituum, DEUS Cœli & terræ! Hic non obstante sua altitudine, & felicitate Cœlum deseruit, ubi ab omnibus Angelis adorabatur, & glorificabatur, terram pro habitatione sua elegit, homo factus, & usque ad mortem ignotus delituit. An majorem sui ipsius exinanitionem vel fingere sibi quis posset?

Secundo: Exinanivit se assumendo naturam humanam in statu Infantis! Quid est miserius, & contemptibilius infante? Nec incedere, nec ulli suæ necessitati consulere valens, alienis ad omnia manibus eget!, Taceo impotentiam loquendi, vel aliis indicandi suos seu dolores, seu necessitates &c. Omnia hæc singulis alioqui nota sunt. Hanc communem omnibus

miseriam


miſeriam nos facilius tulimus, eo quod ratione uti non potuimus: ſed Chriſtus, qui erat ſapientia increata, totum pondus ſuæ hujus humiliationis & miſeriæ perſenſit. Poterat in mundum venire in ſtatu Viri, noluit: in ſtatu puſionis voluit, ut eo perfectiorem ſui exinanitionem exerceret!

Tertio Exinanivit ſe aſſumendo naturam, & ſimul occultando omnes ſuas tam divinas, quam humanas perfectiones. Nil deſidero hic aliud, quam ut divinum Puſionem in præſepi intuearis. En! hic jacet ille DEUS Omnipotens, qui Cœlum terramque condidit, & nec ſtare, nec incedere poteſt. Hic jacet fortiſſimus Ille, qui tribus digitis totum orbem appendit, & eſt debiliſſimus. Hic jacet ditiſſimus Ille, a quo omnes Principes, quidquid poſſident, habent, & Ille ipſe non habet aliud diverſorium, quam immundum ſtabulum? O Exinanitionem Redemptoris mei ſtupendam!

AFFECTUS.

Confuſionis ſui ipſius. O Humillime JESU! Quam diverſa a tuis ſunt mea deſideria! Tu Teipſum humilias & ex humilitate in terram deſcendis! ego me ipſum exalto, & cum Lucifero ſupra aſtra aſcendere volo: Tu Te ipſum uſque ad ſtatum contemptibilis Infantis depri-

deprimis, & ego inhio ſtatui, qui coram hominum oculis dignior, & excelſior eſſe videtur! Tu occultas omnes Tuas perfectiones, ut declines laudes hominum, & ego, ut lauder, omne quod in me eſt vel a me ſit bonum, in lucem profero. Verbo: omnes Tuæ cogitationes tendunt ad humilitationem & exinanitionem Tui, & omnes meæ tendunt ad mei exaltationem! Vere fateri cogor o mi JESU! me de Tuo ſpiritu adhuc habere nihil, & mea ſenſa a Tuis diſtare magis, quam Cœlum a terra!

Doloris. Intelligo o mi JESU! video me erraſſe: non enim hæc via eſt, qua tu ambulaſti! Doleo itaque & pænitet me omnium vanarum cogitationum, deſideriorum, complacentiarum, quas unquam admiſi! omnium vanorum ſermonum, & operum, quæ ex impulſu vanæ gloriæ ſuſcepi! Tibi ſoli competit omnis honor & gloria, Tibi tanquam fonti omnis boni illam reſtituo. Impoſterum ſolam humiliationem ſecundum doctrinam, & exemplum Tuum amabo, & amplectar.

P. II. *Chriſtus in ſua incarnatione, Nativitate, & vita reliqua humilitationes, & exinanitiones libenter ab aliis acceptavit.* Nam conſidera:

1. Quomodo Mundus Chriſtum in ſua nativi-



nativitate recepit? Major homini injuria vix fieri poteſt, quam ſi ab omnibus concivibus ejecto, in propria Patria, in tota urbe hoſpitium vel ad unicam noctem denegetur! Ita Chriſto accidit. Omnes reliqui, cujuſcunque conditionis homines receptaculum aliquod in urbe invenerunt, ſolus JESUS cum Matre ubique excluſus naſci in ſtabulo debet: Quomodo hanc injuriam tulit JESUS? cum gaudio: quin id ipſum voluit. Nam ſi aliud voluiſſet, potuiſſet utique Angelorum exercitum præmittere, qui ſuum civibus adventum annuntient: potuiſſet ſuo in urbem ingreſſu aut valido terræ motu, aut excuſſis e nube fulminibus reverentiam, & ſuæ Majeſtatis adorationem a civibus extorquere. Nil ejuſmodi fecit, ut occaſionem nanciſceretur, humiliationes & injurias perferendi.

2. *Quomodo Mundus Chriſtum poſt nativitatem tractavit?* Deterius, quam in ipſa nativitate. Apparuit in Cœlo ſtella nova, reges ex Oriente venerunt nativitatem ſalvatoris nuntiantes. Nunc tota Jeruſalem accurret ad adorandum JESUM. O ingratitudinem populi incredibilem! e tot millibus incolarum ne unicus quidem vel pedem movit, ut JESUM quæreret & adoraret! Imo de illo mature tollendo e medio conſultabatur: cædes, & dies cædis ſtatuebatur:

ut mortem violentam effugiat, JESUS parvulus profugere e Patria debebat!

3. Quem sensum, quam existimationem de JESU adulto mundus habuit? Eandem quam prius. JESUS habitavit in Nazareth cum Matre sua: labore manuum vel domi, vel extra domum occupabatur, & panem sibi suum cum Nutritio in sudore vultus sui comparabat. Nemini incidit, posse sub forma & statu Opificis incarnatum DEI Filium delitescere: Pater cœlestis occultavit Mysterium, nec ullo signo manifestavit, hunc esse Filium suum dilectum. Maria & Josephus tacebant, nec ulli mortalium communicarunt, quæ sciebant. JESUS ipse coram oculis hominum, omnes suæ Divinitatis & humanitatis thesauros abscondebat. Hinc factum est, ut nulli de illo aliquid aliud constaret, quam esse in Nazareth juvenem, JESUM nomine, Fabri filium, qui Patrem suum in labore manuum fideliter adjuvaret. En anima mea! hæc est illa magna laus, quam incarnatus DEI Filius per triginta annos a mundo retulit, nempe, quod ille, qui terram, & cœlum creavit, bonus faber lignarius esset.

AFFECTUS.

Contemptus sui ipsius. O quam exosa Tibi existimatio hominum, quanto contra in pretio vilipensio, & contemptus fuit! Quanta Tu fa-

cere potuisses, si laudari appetiisses, & quæ fecisti, ut non honoreris? Quam facile per operationem miraculorum obtinere potuisses, ut totus mundus te adoraret? tu contra ut honores mundi evites, omnes Tuas perfectiones sub forma opificis occultasti. Quam amara mihi est hæc veritas!- Tu fugis honorem, ego contemptum! quæris latere, ego nosci & æstimari! Tu gaudes contemptu, ego laude! O JESU! quam male mecum agitur! Si spiritus Tuus vera est ad sanctitatem via, meus est via ad perditionem, si Tua humilitas est clavis ad Cœlum, mea superbia est clavis ad infernum!

Desiderii humilitatis. Quod meam superbiam adhuc magis detegit, est: Ego longe majore honore afficior, quam Tu affectus es: & tamen non sum contentus. Me honorat mundus propter statum religiosum, in quo versor, & mecum reverenter agit: Te contra, ut opificem merum, qualis apparebas, nemo attentione dignum censuit! Væ mihi! ego magis æstimari cupio, quam Salvator meus æstimatus sit! Agnosco, o mi JESU! quam hoc sit absurdum, & tamen juvare me non possum! Altas nimis radices in corde meo egit cupiditas honoris, & contemptus timor! Tuus honor o mi JESU, beneplacitum Patris Tui cœlestis,

pro-

progreſſus in via virtutis, & Sanctitatis, omnia his monſtris cedunt! Vulnus hoc ſanare præter Te nemo poteſt. O igitur --

P. III. *Reflexiones ſuper hac Chriſti humilitate*, utpote ſuper re in vita ſpirituali graviſſima. Pete lumen a DEO anima mea, & ſequentia bene tecum expende.

1. *Reflexio. Nihil DEO magis placet in anima hominis, quam amor contemptus, & vilipenſionis* Quid ſi ante Chriſtum vixiſſemus, & Pater æternus, ut ſuperbiam noſtram nobis ob oculos ponat, interrogaſſet nos, quali modo Filium ſuum mittere in hunc mundum debeat, quid reſpondiſſemus? Haud dubie dixiſſemus: Nutritium oportet eſſe Monarcham, Matrem Reginam, Habitationem palatium ſplendidiſſimum: Angeli annuntient, homines congregentur undique, & neonatum Salvatorem adorent: Ille ipſe vero ſine mora ſapientiam, & Majeſtatem ſuam ubique manifeſtet, thronum conſcendat, & toti mundo cum abſoluta poteſtate dominetur. Hæc cogitaſſemus forſitan nos! ſed quid cogitat, & facit Pater cœleſtis! Mater Filii mei unigeniti, ait ille, ſit Virgo paupercula, ſtabulum habitatio, lectus fænum; non dominetur, ſed obediat, deliteſcat in officina, & opprobria inter, & injurias vivat, & moriatur! Quam cæci er-


ſumus nos! Nos nihil magis æſtimamus, quam laudem, honores, hominum exiſtimationem; Pater æternus vero contemptum & vilipenſionem. Intuere JESUM! quid vides in illo præter humiliationes, opprobria, & injurias? & hæc erant illa ſacrificia, in quibus ſibi Pater cœleſtis ita complacuit, & quæ ſalutem mundi operata ſunt!

2. *Reflexio. Nihil DEO ita diſplicet in anima, quam amor honoris, laudis, & exiſtimationis hominum.* Quo minus anima cum JESU Chriſto conformitatis habet, eo magis diſplicet Patri cœleſti. Jam: qualem conformitatem habere poteſt cum JESU Chriſto anima, quæ laudem & exiſtimationem hominum appetit? JESUS nil quærebat, niſi exinanitionem ſui, nil deſiderabat, niſi contemptum, non delectabatur niſi injuriis: vita JESU cœpit, & finiit in opprobriis! Compara te cum JESU, & vide, quid inter Jllum, & te ſimilitudinis intercedat!

AFFECTUS.

Agnitionis, & doloris. Flere hic magis, quam loqui libet, o mi JESU! meum cor tam parum habet ſimilitudinis cum Tuo, quam habet Sanctus cum damnato. In corde Tuo nihil, niſi abominatio vanæ gloriæ, & deſiderium contemptus: in meo nil, niſi complacentia ob-

laudem

laudem hominum, & abominatio contemptus! Miſeria mea per hoc adhuc augetur, quod ipſa mihi medicina noceat! Medium enim optimum eradicandi meam ſuperbiam, eſſet contemptus hominum, confuſiones &c. Sed ego miſer amo morbum, & reſpuo medicinam, defendo ſuperbiam, & humilitatem fugio. O Humillime JESU! An juvari potero? omnem mei ipſius æſtimationem, hucuſque de me conceptam, omnia vana deſideria, complacentias de hominum laudibus, omnia opera quæ propter homines, & propter vanam gloriam feci, ex corde abominor, & damno; Tibi ſoli, o origo omnis boni! honor, & gloria, mihi autem peccatori confuſio, & contemptus!

Propoſiti, & implorationis gratiæ. O mi JESU! ſi unquam inſtanter a Te aliquid petii, hodie humilitatem a Te inſtanter peto. Rem æquam peto, ſcio: humilitas enim eſt virtus ſpiritus tui characteriſtica: eſt clavis ad intimam Tecum unionem, & porta Paradiſi. O quantum conari, & laborare me oportet, ut hanc mihi virtutem implantem! hæc duo o mi JESU! firmiter ſtatuo. 1. Nunquam vanam complacentiam admittam, numquam in laudem meam vel verbum proferam, nunquam vel minimum ex vana gloria operabor. 2. Omnem

mei

mei vilipenſionem, & contemptum undecunque mihi advenientem patienter feram! ſed, o mi JESU! quam facile eſt, facere propopoſita, quam difficile, illa ſervare? Tu o mi JESU! unica ſpes mea, unicum refugium, Tu fortitudo mea; & ad Te humi proſtratus recurro.

DIES QUINTA.

MEDITATIO PRIMA.

DE VITA CHRISTI PRIVATA, & ADMIRABILI EIUS OBEDIENTIA.

1. P. *Omnes difficultates, quæ cum perfecta obedientia connexæ ſunt, Chriſtus amore cœleſtis Patris ſui, propter me ſuperavit.* Propria voluntate & libertate ſua ſe abdicare, & ad mortem uſque ex aliorum arbitrio vivere, res eſt multis, & magnis difficultatibus obnoxia. Sed omnes hæ difficultates ſunt effectus Divinæ Providentiæ, & omnes, has propter te Chriſtus exhauſit.

1. *Difficultas, cum perfecta obedientia connexa oritur ex officiis & muniis, quæ obedientia imponit.* Nos putamus interdum nimis vilia eſſe, & abiecta, quæ nobis imponuntur officia; illos qui nobis præferuntur, minoribus

bus talentis esse præditos: nos vero posside-
re dotes omnes requisitas: Quid? officium est
nimis abjectum? intuere JESUM! quis est ille?
Rex Regum, & Dominus Dominantium, Cœ-
li, terræque Dominus! quibus instructus est
dotibus? Sapientiæ est infinitæ, qua omnes ho-
mines sine labore ad cognitionem suæ Deitatis
adducere posset! Potentiæ tantæ, ut orbem ter-
rarum stupendis miraculis replere; eloquentiæ
tam efficacis, ut totum mundum convertere
posset! Hic tamen talis & tantus Dominus, quali
officiô fungitur? audi & obstupesce! Ad viginti
circiter annos fabri lignarii vices obit, & nu-
tritio suo in abjectissimis muniis subditus est! In-
tra in Ejus officinam, considera Divinum opi-
ficem, & tunc, si erubescere non metuis, de
vili tuo officio querulare!

2. *Difficultas cum obedientia connexa oritur a Superioribus, qui nos regunt.* Certum est in-
tra viginti vel triginta annos, quos in religio-
ne agimus, interdum nobis Superiores obtin-
gere, quorum regimen nobis grave est. De-
est huic interdum spiritus discretionis, & ars,
quemlibet secundum suum genium tractandi;
illi paternus amor, & cura subditorum; alte-
rî mansuetudo & affabilitas, quæ animos
in se subditorum rapere, & alleviare maxima
onera potest. Qui vult esse vere obediens
debet

debet habere animum omnibus his difficultatibus superiorem. Exemplo sit JESUS! En stat coram tribunali Pilati, & hic fert in Eum sententiam mortis; quid constitisset Christo, si se ab hac liberare voluisset? ille poterat hujus sententiæ injustitiam toti mundo palpabilem ob oculos ponere, poterat Pilatum ex tribunali in abyssum inferni præcipitare, poterat, ut alias fecit, invisibilis per medios hostes transire, & sic illorum manus effugere. Non voluit: acceptat sententiam mortis a Pilato prolatam, ac si ex ore Patris sui cælestis prodiisset: obedit illi, usque ad mortem & quidem mortem crucis. Quis est jam, qui querulari contra superiores audeat, postquam Christus injustissimis terræ judicibus sine ulla contradictione obedit?

3. *Difficultas cum obedientia connexa oritur ex ipsa obedientiæ natura & essentia.* In statu religioso præcipiuntur multa, quæ judicio nostro & voluntati repugnant, & quæ nobis non necessaria, non utilia esse videntur: præcipiuntur multa, quæ inclinationi nostræ naturali adversantur, & quæ revera difficilia in se sunt, præsertim, si diuturna sint vel ad mortem usque continuanda. Verum quid Christus pro & propter te fecit? an erat facile, viginti annos in officina exigere, & e

nuti-

nutibus alicuius ſabri pendere? an erat facile, per tres annos circuire vicos, oppida & totam regionem, & prædicare inter continuas calumnias, injurias, perſecutiones & inſidias? an erat facile ſententiam mortis iniquiſſimam, crudeliſſimam excipere, & in crucis patibulo mori? In omnibus his obedivit JESUS ſine contradictione, ſine mora, ſine impatientia, cum perfectiſſima ſubjectione! Ah quid eſt noſtra qualiſcunque obedientia, ſi cum obedientia JESU Chriſti comparetur?

AFFECTUS.

Humiliationis. Quocunque in puncto me conſiderem, nihil in me boni invenio, quod perfectum eſſet, & Tecum, o mi JESU tanquam exemplo ſanctitatis concordaret! Ego deberem voluntatem meam exuere, in meis Superioribus Te ducem meum viva fide conſiderare, illorum nutibus intendere, illorum mandata non ſolum graviter non ferre, ſed cum alacritate, & gaudio implere: hoc enim poſtulat votum a me factum, & exemplum a Te mihi datum. Quomodo vero me hactenus geſſi? O Bone JESU, tu noſti, quot peccata, & defectus per judicii mei pertinaciam, per repugnantiam voluntatis, per murmura, querelas per executiones mandatorum non perfectas commiſerim? An hæc peccata rationem dandam

ante



ante tribunal Tuum non facient plus quam difficilem, etſi alia nulla adferrem?

Doloris. Agnoſco perfidiam meam, deteſtor: o quam magna ſunt in oculis Tuis hæc peccata, quæ mihi parva videbantur! quemadmodum ego obedientiam non hominibus, ſed Tibi DEO meo Optimo Maximo vovi, ita per inobedientiam meam non homines ſed Te, Tuamque, ſupremam Majeſtatem offendi! Quoties Superiorum judicio meum prætuli, toties infinitam Tuam ſapientiam contempſi: quoties voluntati ſuperiorum reſtiti, Tuo in me Dominio me oppoſui: quoties corde, vel ore ſuperiorum de me diſpoſitiones vituperavi, toties vituperavi diſpoſitiones infiniti Tui amoris, & bonitatis. Qui vos audit, me audit, qui vos contemnit, me contemnit: effata Tua ſunt, o JESU! & ex his verbis agnoſco meam in inobedientia temeritatem! o quam cæcus hucuſque fui, quam parum agnovi peccati inobedientiæ temeritatem! ſed nunc agnoſco & ex corde deteſtor.

P. II. *Mira animæ felicitas, quæ cæcæ & perfectæ obedientiæ ſtudet.* Viſa JESU Chriſti obedientia, perpende fructus dulces, quos hæc virtus producit!

1. *Felicitas. Homo obediens ſcit omni momento, quod voluntatem DEI faciat.* Imaginare tibi S. Angelum tuum, qui aliis inviſibiliter ad-

ſtat,

ſtat, ex ſpeciali DEI ſavore diu nocłuque tecum converſari viſibilem, tibique in omnibus circumſtantiis indicare, quid DEUS a te poſtulet, quid Illi in te placeat, & diſpliceat! an major eſſe felicitas poſſet? anima mea! an habes fidem vivam? en! ſi cæce obedias, tam certa es ſingulis momentis de voluntate & beneplacito DEI, ac ſi Angelus tibi comparens indicaret: tam certa es de DEI voluntate quam fuit certus Chriſtus in Nazareth, vel Apoſtoli dum ex ipſo Chriſti ore omnia perciperent!

2. *Felicitas. Operibus obedientis animæ, accedit ex obedientia pretium coram oculis DEI maximum.* Admirabile eſt obedientiæ pretium; leviſſima enim opera coram DEO fiunt pretioſa, ſi ex obedientia ſuſcipiantur; evaneſcunt vero maxima opera contra obedientiam facta. Ex obedientia lavare lances majus coram DEO opus eſt, quam contra obedientiam percurſare oppida, & prædicare: Ex obedientia comedere, & bibere opus magnum eſt coram DEO: contra obedientiam in pane & aqua per totum annum jejunare, nihil. Unica regula ex qua præſtantiam alicujus operis colligere debemus, eſt voluntas DEI: ſi DEUS aliquod opus vult, tam magnum, quamvis alias viliſſimum ſit, evadit, ut nec homo

nec



nec Angelus, nec ipſe DEI Filius operari majus poſſit. Redi mente in officinam S. Joſephi & intuere JESUM! En! vilis hic labor, quem peragit, tantus eſt coram DEO, ut ipſe Incarnatus DEUS, cum omni ſua Sapientia, & omnipotentia ſublimius, & perfectius agere nihil queat! cauſa eſt: quia hæc eſt voluntas Patris æterni!

3. *Felicitas. Obediens infallibiliter, & cito ad perfectionem pertingit.* Duæ hujus aſſerti ſunt cauſæ. Prima eſt ipſa eſſentia perfectionis & ſanctitatis. Nam Sanctum eſſe nihil eſt aliud, quam voluntatem DEI implere, & vivere ad illius beneplacitum. Obediens nihil deſiderat, nihil quærit, nihil facit, niſi, quod vult DEUS: ſurgit, & decumbit, quando vult DEUS; laborat, & orat, quando vult DEUS, facit ſingulis momentis, quæ, & quando vult DEUS; conſequenter debet fieri & fiet cito ſanctus.

2. Cauſa eſt directio & manuductio DEI. DEUS amat obedientem, portat illum in ſinu ſuæ providentiæ, ſicut prolem in ulnis Mater: dirigit, & manuducit illum, & omnia ad illum ſpectantia curat. Jnsurgat contra illum mundus & infernus totus; conentur illum homines, ipſi ejus ſuperiores opprimere; incaſſum cadent omnia; Obediens

eſt

eſt ſub protectione infinite ſapientis, boni, & omnipotentis DEI; hic illum in hoc mundo infallibiliter ad illum ſanctitatis gradum, in altero vero ad illum gloriæ gradum deducet, quem illi ab æterno præordinavit.

AFFECTUS.

Fidei. Ita eſt, Superiores præſunt, præcipiunt non ſua, ſed JESU Chriſti auctoritate. Quæcunque mecum & de me diſponunt, æqui, bonique conſulere, & exequi debeo: non quia illorum hæc voluntas, ſed quia voluntas Chriſti eſt; Verba Chriſti clara ſunt, & omne dubium excludentia: Qui vos audit, me audit. Huic Tuo effato, mi JESU! judicium meum libens ſubmitto, credo, voluntatem & diſpoſitionem Superiorum meorum Tuam eſſe voluntatem, & diſpoſitionem: credo quod illorum me directioni ſubtrahere non poſſim, quin me ſimul ſubtraham diſpoſitioni providentiæ Tuæ... Jta o mi JESU firmiter credo & credo propter Te revelantem veraciſſimum.

Spei & fiduciæ. Quam viva eſt hæc fides mea, tam magna o JESU, eſt ſpes & fiducia mea, ego Tibi vovi obedientiam, voluntatem & libertatem meam omnem obtuli, Tu oblationem hanc meam ſuſcepiſti, & per Superiores me meos regere, & dirigere promiſiſti: & ideo me in ſinum Tuæ providentiæ

ſecurus

 
ſecurus projicio. Tu es infinite ſapiens & ſcis, quæ Superiorum diſpoſitiones mihi ſint maxime utiles, Tu qua infinite bonus facis, ut Superiores utiliſſima de me diſponant; qua fideliſſimus hæc facere promiſiſti: in Te ergo ſpero o mi JESU, & confido. Per directionem Tuam Superiores de me & mecum diſponent ſemper ea, quæ ſaluti meæ ſunt maxime proficua, per directionem Tuam denique ad illum thronum gloriæ pertingam quem Tu mihi ab æterno ſtatuiſti.

Amoris & oblationis. Hac ſpe fretus proſterno me coram Te, & me Tibi totum ſine ulla exceptione denuo offero! voveo Tibi nunc iterum Obedientiam, & omnem voluntatem, intellectum, libertatem ex integro illis trado, quos Tu mihi Superiores conſtitueris: Intellectus meus impoſterum erit cæcus, vocem Superiorum tanquam tuam o JESU! vocem audiam, & ſine mora, ſine indagatione ulla ſequar: voluntatem illorum, tanquam Tuam conſiderabo, & impigre implebo: libertate me mea ita abdico, ut ſtatuam, me totum Tuæ per Superiores diſpoſitioni relinquere, nihil petere, nihil recuſare, nihil deſiderare. Hoc eſt illud ſacrificium, quod hodie Tibi offero & ex puro amore offero, quia Tu unicum, & ſummum bonum meum es,

quod amare in terris perfectiſſime, & poſſidere in Cœlo in æternum deſidero. O JESU conſerva & conforta hanc meam voluntatem!


MEDITATIO SECUNDA.

De Vita Cristi publica & mira Eius in homines mansuetudine, & amore.

1 P. Chriſtus prior omnes difficultates pertulit, quæ manſuetudinem, & amorem erga proximum difficilem reddunt. Meditandam hic aſſumis virtutem o anima mea, quæ licet una ſit ex maxime neceſſariis ad ſanctitatem, tamen non modicas involvit difficultates. Tu intuere exemplum JESU Chriſti, & reſolve te ad ferendum generoſe, quæ tuliſſe ante te JESUM videris.

1. *Difficultas eſt converſari & agere cum hominibus, apud quos labor omnis, & conatus male collocatus nihil proficit.* Ah anima mea! quid non egit JESUS ad Judæos convertendos? Tribus annis circuivit de pago in pagum, de urbe in urbem, prædicavit indefeſſe, & cum cœleſti quadam eloquentia, cumulavit illos diverſis & maximis beneficiis, patravit miracula innumera; invitat, allicit tanquam Pater beni-

gni-



gnissimus ad se sequendum! Quid his omnibus profecit? aliqui Eum contemnentes dixerunt: ubi hic fabri filius talia didicit? alii deriserunt Ejus doctrinam: Pharisæi vocabant Illum hominem malitiosum, qui non observaret legem: Pontifices condemnata Ejus doctrina, admonuerunt populum, ne se seduci sineret, & Ei adhærentes excommunicaverunt. Quo factum est, ut non nisi paucissimis conversis, reliqui omnes obdurarentur. Tales homines amare quam erat durum? etiam tenerrimus Parens filium suum, admonitiones omnes deridentem, & novas sibi quotidie molestias facessentem, tandem amore indignum judicat.

2. Difficultas est: *Cum hominibus agere, qui ex odio & invidia omnia in malam partem interpretantur.* Hæc difficultas Christo ad omnem ferme passum occurrit. Sanavit ex amore & commiseratione paralyticum Sabbatho; & impii exclamant: talem a Domino esse missum non posse, qui Sabbathum non observat. Manducabat cum Publicanis, ut per affabilitatem & amorem suum illos ad meliorem frugem reduceret: proclamant impii: illum potatorem esse, & convivia prensare. Patrabat miracula, ut homines ad cognitionem suæ Deitatis perduceret; dicunt impii non

Illum

Illum, ſed Diabolum per Illum operari hæc omnia. Omnia Illius dicta, vel facta d'ſquirebantur, omnia in malam partem detorquebantur

3. Difficultas eſt. *Cum hominibus agere, qui beneficia non agnoſcunt, vel malefactis compenſant.* JESUS venit in Nazareth, prædicabat in Synagoga, & omnem amorem concivibus ſuis exhibebat. Qualem gratitudinem expertus eſt? Deduxerunt Illum ad ſupercilium montis, ut Illum inde præcipitent. Prædicavit Jeroſolymis, & Se eſſe Meſſiam clare edixit; Quid gratitudinis retulit? Tulerunt lapides contra Illum tanquam blaſphemum, & voluerunt Illum e medio tollere.

4. Difficultas eſt: *Circumdatum eſſe falſis fratribus, aut ſubdolis, & fictis amicis.* Sciebat JESUS quid Judas in Corde machinetur: quam malo animo adverſus ſe ſit: quod paucis argenteis corruptus in manus inimicorum ſe traditurus ſit.

5. difficultas eſt. *Agere cum hominibus, de quibus conſtat nobis eſse infeſtiſſimos.* Pontifices & Scribæ jam pridem Chriſtum in Conciliabulo ſecreto ad mortem condemnarunt: declararunt publice ejiciendos e Synagoga, qui doctrinam Illius ſectaturi eſſent: ediderunt decretum publicum, quo mandabant

ut Seductor Ille (ut ajebant) capiatur & tradatur Pontificibus. En quantæ a Christo erant superandæ difficultates amandi homines, qui odio æterno digni erant! his tamen omnibus non obstantibus amavit omnes, amavit eos sicut Pater tenerrime.

AFFECTUS.


Confusionis sui ipsius. O mi JESU! quam fortis & ardens erat amor Tuus? quam frigidus & pene nullus est meus! Tu Conversatus es cum hominibus qui Te in faciem blasphemabant, seductorem & blasphemum proclamabant, sub specie amicitiæ hostibus tradere cogitabant: qui statuebant non prius quiescere, quam in crucem actum Te viderent. Omnes tamen hæ injuriæ amorem Tuum extinguere non poterant: amabas adhuc, & amare usque ad mortem pergebas. O me infelicem! quam parum habeo de mansvetudine & amore Christi! unicum verbum contemptibile, minima offensio, responsum minus affabile satis est ad extinguendum in me proximi amorem, & mansvetudinem meam evacuandam; & hoc post gratias & media mihi a Te suppeditata, quibus si uti voluissem magnum in utraque virtute progressum facere potuissem, & debuissem. O DEUS! quam omni virtute vacuus coram oculis Tuis olim comparebo!

Pro-

Propositum. Sed an semper tam frigidum erit cor meum? An non tandem serio conabor tam necessarias mihi virtutes implantare? Tu o mi JESU! ad ordinem religiosum me vocasti; cujus finis proprius est: Tibi in profunda humilitate, sincero amore, & imperturbata cordis mansvetudine servire. Quomodo sine his virtutibus comparere coram Te audebo? quomodo & quid respondebo Tibi pro tot millenis gratiis, si illis nunc abutar! O mi JESU! nunc toto corde ad Te conversus.

II. P. *Miræ proprietates amoris, quo JESUS homines amavit*. Ex his bene perpensis disce verum amorem.

1. Proprietas: *Amor & mansvetudo Christi non obstantibus quibuscunque injuriis semper erat benevolus & ardens*. JESUS erat omniscius, vidit quotidie multa se odientium millia, qui deceptorem, blasphemum, magum criminabantur, qui opprobriis lacessebant! qui morte & cruce dignum judicabant, imo, qui ad mortem quærebant. Hæc omnia vidit, & tamen non est iratus: amavit & ardentissime amavit. Quis tibi animus, quis sensus esset, si scires te a viginti hominibus pro scelerato haberi, in omni conventu proscindi, & plane ad mortem quæri?



2. Proprietas: *Amor & manſvetudo Chriſti non obſtantibus quibuſcunque injuriis, in loquendo, & toto agendi modo erat ſemper affabilis.* Recordare hic iterum Judæ proditoris. Tribus annis cum illo converſabatur IESUS, noverat malum illius animum, noverat ſe tandem ab illo tradendum. Nihilominus converſabatur & agebat JESUS cum illo tam affabiliter quam cum cæteris Apoſtolis: Dedit illi donum miraculorum ſicut aliis, lavit pedes illius ſicut aliorum, ita ut Apoſtolis in ultima Cœna nec ſuſpicio de illo aliqua incideret: quin eodem tempore, quo Chriſtum manibus tradit nocentium, vocat illum IESUS amicum, & oſculatur. An magis benevole ac affabiliter cum Ioanne, quem tamen præ cæteris tenere dilexit, agere potuiſſet?

3. Proprietas: *Amor & manſvetudo Chriſti non obſtantibus quibuſcunque injuriis, erat ſemper liberalis, & mala beneficiis compenſabat.* Augebatur quotidie ingratorum Iudæorum in JESUM furor, & Hujus in illos beneficentia quotidie augebatur, ardentius quotidie ſuſpiravit ad Patrem ſuum Cœleſtem pro illorum ſalute, plura indies miracula operabatur, ut ad cognitionem ſuæ Divinitatis illos adduceret, nova quotidie illis beneficia præſtabat, ut ſaxea illorum corda tandem emolliret!

molliret! imo ipſas injurias beneficiis compenſabat Quis Malcho erat indignior? erat unus ex illis, qui in hortum Gethſemani properabat hoc animo, ut Chriſtum caperet; & tamen id ipſum dum ageret, extendit JESUS manum ſuam, & amputatam illi a Petro auriculam miraculoſe ſanat!

AFFECTUS.

Doloris. Nunc ſcio, o mi JESU, quid amor verus in ſe involvat! amare illos qui nos amant & nobis benefaciunt, facile eſt; ſic amarunt & Judæi, & Gentiles! amare perſequentes, & affligentes nos, hoc eſt amare, prout JESUS amavit. Qualis hucuſque fuit amor meus? o quam imperfectus! & nonniſi talis plerumque, qualem & in Judæis, & in Gentilibus invenire eſt! Erravi ergo, & quidem erravi circa virtutem Chriſtianiſmi characteriſticam, Religioſi ſtatus pupillam, & medullam perfectionis, & ſanctitatis! Agnoſco & quidquid contra hanc peccavi, deteſtor, Te per Sanguinem Tuum rogans, ut - -

Actualis amoris. Hæc impoſterum erit mea prima, & maxima cura, ut DEUM ex toto corde, proximum vero propter DEUM, ſicut me ipſum, diligam! Hæc duo præcipua ſunt mandata, quæ nos docuiſti verbo, & exemplo Tuo: & ~~quæ~~ implere

hoc



hoc momento volo. Amo ergo Te, o mi JESU! ex toto corde ſuper omnes Creaturas in Cœlo & in terra! amo Te tam ardenter, ut paratus ſim, omni momento ſanguinem meum pro Te profundere! Et ſicut Te, propter Teipſum, ita propter Te diligo ſincere omnes homines, nullo excepto! Tu pro omnibus mortuus es, & præcipis, omnes amare, ideoque illos amo, ſicut me ipſum. Tu, o JESU miſerere omnium, & da unicuique ex Tua infinita miſericordia, quæ ipſe ego mihi opto!

Propoſiti. Sed quoniam ſolus affectus ad amorem verum non ſufficit, volo proximo meo facere omnia, quæ fieri mihi vellem. Vellem, ut omnes de me bene ſentiant; & ego de omnibus bene ſentiam: nullus contemptus, nulla de quocunque ſuſpicio in animo meo locum habebit. Vellem, ut omnes erga me ſint affabiles, & benigni: talis ego ero erga omnes: nullus ex me verbum inurbanum audiet, vel impatientiæ ſigna in me obſervabit. Vellem, ut omnes meos defectus patienter ferant, & mali de me loquantur nihil unquam: nec ego unquam ſermones miſcebo de defectibus illorum: Vellem exhiberi mihi ab omnibus obſequia charitatis: eadem ego omnibus exhibere conabor.

bor. Da mihi, o JESU, o amor verus & essentialis, gratiam amandi, prout Tu amasti.

CONCLUSIO HEBDOMADÆ SECUNDÆ.

Expendimus hucusque virtutes, & exempla JESU Christi; videamus nunc, quomodo illa imitari & possimus, & debeamus.

1. *Tantum habemus veræ Sanctitatis, & perfectionis, quantum habemus de Spiritu Christi.*

Si scire desideras, quantum in via perfectionis profeceris, vide, quantum habeas de Spiritu Christi. Si parum de hoc habes, parum habes veræ sanctitatis; & contra; Si omnia in te spiritui Christi sunt conformia, veram & perfectam sanctitatem attigisti. Christus est summa Sanctitas, & omnis sanctitatis exemplum: quo major tua cum hoc exemplo est similitudo, eo sanctior es, & perfectior!

2. *Tantum quis habet de Spiritu JESU Christi, quantum habet de Ejus obedientia, humilitate, amore, &c.*

Nulla quidem virtus est, quæ in vita Christi perfectissime non eluxisset; sed tamen harum quatuor præcipue insigniora nobis dedit exempla: imo duas ex his ita nobis commendavit, ac si Spiritus Ejus totus, & tota

tota vitæ Sanctitas in iis consisteret! Discite a me, ait, nam ego sum mitis, & humilis corde!

3. Ex his causam colliges, cur tam pauci etiam Religiosi ad sanctitatem pertingant.

Plerique Religiosorum contenti sunt illis virtutum exercitiis, quæ corruptæ naturæ ægre non faciunt. Meditantur, orant, laborant bona cum intentione, præscripta sibi officia, mortificationis opera, quæ regula præscribit, exercent. Sed voluntatem propriam abnegare, cum perfecta indifferentia omnem Superiorum nutum expectare, vanam gloriam supprimere, contemptum æquo animo ferre, motibus iracundiæ resistere, etiam cum illis, qui nobis non arrident, affabiliter, & amice conversari, amori proprio ægre facere, mala bonis compensare &c. hæc pauci, & nonnisi heroici animi homines aggrediuntur. Si cor nostrum a malis affectionibus non purgetur, & virtutibus Deo magis placentibus non exornetur, etiam Deus se nobis non communicat, sed in nostra mediocritate nos sicut vivere, ita etiam mori sinit.

III. P. Si ergo serio sanctitatem, & unionem cum DEO quæris, necesse est, ut vestigia Christi sequaris, & Illius virtutes imiteris. Ad hoc autem sequentia valebunt proposita.

QUO-

QUOAD OBEDIENTIAM

1. Indifferentem eſſe erga omnes Superiorum de nobis diſpoſitiones; ita, ut nil deſideremus, nil quæramus, nil unquam recuſemus.

2. In omnibus circumſtantiis DEUM in Superioribus intueri, firmiter credere, illorum voluntatem eſſe DEI voluntatem.

3. Omnia illorum præcepta & nutus ipſos cum reverentia acceptare, & cum fervore explere.

QUOAD HUMILITATEM

1. Ita coram DEO omne vanæ gloriæ deſiderium deponere, ut neque interne ullam tui ipſius æſtimationem, vel complacentiam deliberate admittas, neque externe quidquam loquaris, vel opereris ex impulſu vanæ gloriæ.

2. Bonum ſuum nomen, & famam ita totaliter DEO offerre, ut indifferentes omnino ſimus, & parati, omni hora contemni, vilipendi, poſtponi, prout DEO placet.

3. Humiliationes, & ſui contemptum undecunque advenientem æquo animo acceptare, & cum vero ſui ipſius contemptu tolerare.

QUOAD MANSVETUDINEM, ET AMOREM

1. Affectum erga omnes ſincerum fovere

ita,

ita, ut deliberate nullam de proximo suspicionem sinistram, nullum contemptum, nullam impatientiam admittas.

2. Externe cum omnibus hominibus, & in omnibus circumstantiis affabiliter & amice agere.

3. Quomodocunque proximus erga nos se gerat, quidcunque nobis ab illo fiat, ferre cum silentio, & quantum fieri potest, bonis mala compensare. Hæc sunt, o anima! in quibus verus spiritus Christi, & vera virtutum imitatio consistit. An parata es hæc exempla sequi, & imago vera JESU Christi fieri? Si ita est: abjice te ad pedes Crucifixi, & ita teipsam offer: Agnosco o mi JESU! odisse vanam gloriam, amare contemptum, voluntatem propriam abnegare, & alienam sequi; cum omnibus affabiliter agere, aliorum defectus perferre, omnes ex corde amare, reddere bona malis, hic est spiritus Tuus verus; ita Tu amasti, ita & ego amare debeo, si e Spiritu Tuo vivere velim! Imo non solum iste Spiritus Tuus est, sed unica etiam via est ad amorem & conjunctionem Tecum! Tu es essentialis sanctitas, ideo habitare non vis, nisi in corde ab omni mala affectione bene purgato, & virtutibus Tuis exornato! O quanta mihi Tecum familiaritas, & unio

iam


jam nunc esset, si mihi omnino mori, & Tibi soli vivere voluissem. O me infelicem! quantis me ipsum bonis privavi!

Sed enim, quæ Tua est gratia, nondum propterea omnia perdita sunt. Adhuc nunc cor meum ab omnibus sordibus malorum affectuum purgare, adhuc nunc familiaritatem, & alios Tui amoris effectus consequi possum! patet mihi adhuc per Tuam infinitam misericordiam via, me Tecum perfectissime uniendi! Quam dulcis est hæc spes! ego possum intime Tecum uniri, o bone JESU! ego, qui Te toties, offendi, toties Tuis gratiis abusus sum, toties Tuæ invitationi aures clausi! O misericordiam infinitam! Venio, o mi JESU - -

MEDITATIO TERTIA.

DE DUOBUS VEXILLIS

Cum hac meditatione incipit tertia hebdomada; de cujus fine hæc habe. Cum fieri non possit, ut Christum imitantes, secundum illius spiritum viventes, & virtutes illas, quas ille exercuit, exercentes, non sentiamus frequenter gravissimas difficultates, quas tamen, si constantes in Ejus sequela perseverare volumus, generoso animo perferre,

ferre, & superare oportet; proponit; nobis S. Pater Ignatius JESU Christi exemplum, ut non recusemus pro DEO pati, quæ Ille pro nobis passus est! Hæc ergo meditatio eo tendit, ut, quidcunque constet, serio nos resolvamus, Christum sequi, & secundum Illius spiritum vivere.

P. I. Quem sequi oporteat, Christum, an Luciferum, oportet conjici ex fine, quem uterque Dux habet.

1. *Finis JESU Christi est, omnes homines ad sui sequelam trahere, ut hoc modo cœlestem Patrem suum æternum laudent, & glorificent, seipsos vero æternum salvent.* Causa hujus est duplex amor, quo Cor Illius ardet: Amor tenerrimus erga Patrem Suum Cælestem, quem, quia perfectissime amat ipse, a nobis ex toto corde amari, glorificari, laudari in æternum cupit. Amor tenerrimus erga nos homines, quos, quia ardentissime Ipse amat, quærere suam salutem, & eadem secum frui felicitate cupit.

2. *Finis Luciferi est, omnes homines sub suum vexillum colligere, ut hoc modo DEUM deserant, & seipsos in exitium æternum præcipitent.* Causa hujus est duplex: odium contra DEUM implacabile; nam quoniam ab Illo, judicio licet justissimo e Cœlo eje-

ctus

ctus eſt, odit Illum extreme, & ferre non poteſt, ut ab hominibus adoretur, laudetur, ametur. Odium implacabile erga homines: nam, quoniam ſcit, infinitam in Cœlo gloriam & felicitatem, qua ille cum ſequacibus ſuis excidit, nobis a DEO paratam eſſe; odio, & invidia uritur, omnia tentat, ut nos hac felicitate privet, & in idem ſecum exitium ſempiternum pertrahat.

Jam anima mea! quem Ducem tibi eligis? quem ſequeris? Chriſtum an Luciferum? Dum Tobias junior in terram aliam peregrinaturus erat, Archangelus Raphàél ſub ſpecie Juvenis comitem ſe illi & ducem obtulit. Fingamus, duos ſe illi juvenes ad id obtuliſſe, ſub quorum uno Raphael, ſub altero Lucifer latuiſſet. Quid ſi Tobias Raphàéle ſpreto, Luciferum elegiſſet? an ſe ipſum pejus odiſſe, & in majus præcipitare infortunium potuiſſet? Anima mea! Tu revera verſaris in itinere ad æternitatem: Chriſtus, & Lucifer ſe tibi comites & duces offerunt. Cui te confides? quem ſequeris? elige prudenter, ne te æternum pœniteat.

AFFECTUS

Eſtne vel ullus hic deliberationi locus ſuper? Sum in itinere ad æternitatem. Via mihi eſt ignota, & plena periculis. Duo ſe mihi offe-

offerunt Duces. Primus eſt JESUS Filius Unigenitus Patris Cœleſtis, eſſentialis ſanctitas, JESUS, qui me tenerrime amat, qui nil niſi meam ipſius felicitatem quærit! quam ſecurum eſt, talem Ducem ſequi?

Secundus eſt Lucifer, ſpiritus reprobus, implacabilis DEI, & meus inimicus, qui nil niſi meum interitum quærit! quid faciam? O pudet vel interrogare! Quid! an ita demens ſum, ut ſpreto JESU, Luciferum eligam? an me ipſum ita odi, ut relicta via Cœli, ad infernum properem? Abſit. Tu mi JESU, es via, veritas & vita. Via, quæ ſecure ad Patriam ducit: veritas, quæ pericula & errores detegit: vita, ubi æterna beatitudo invenitur. Suſcipe me, o mi JESU! ſub vexillum Tuum; Te, Te ſequi uſque ad mortem volo.

II. P. *Quem ſequi oporteat, Chriſtum, an Luciferum, conjici debet ex ſcopo ſeu meta, ad quam uterque ducit.* Diſcrimen inter JESU Chriſti, & luciferi invitationem eſt fere infinitum: & perinde infinitum eſt diſcrimen inter metam, quo deducit JESUS, & metam, quo Lucifer ducit.


1. *Invitationes, quibus nos Chriſtus ſub ſuum vexillum vocat, omnes tendunt ad executionem eorum, quæ naturæ noſtræ gravia, & inamæ-*



inamœna sunt. Pleraque ex his sunt: voluntaria paupertas, cæca obedientia, continua voluntatis propriæ abnegatio, humilitas, & injuriarum centemptûsque tolerantia, &c. laus DEI & gratiarun. actio in doloribus, adversitatibus, morbis, persecutionibus. Hic est spiritus JESU Christi: ad hæc invitat sequi se volentes: ad hæc parata debes esse anima mea, si sub Ejus vexillo vivere velis! Sed quam amara talis vita esse videtur, tam dulcis, & exoptabilis est meta, ad quam ducit. Sed quæ est hæc meta, iste scopus? dicam paucis, sed tu tota tua vita meditare: Scopus & meta, ad quam ducit JESUS, est: evitatio infiniti mali, nempe inferni, & consecutio infiniti boni, nempe Cœli, & utrumque in æternum.

2. *Invitationes, quibus nos Lucifer ad suum vexillum vocat,- omnes tendunt ad amplectenda ea, quæ naturæ placent.* Promittit sequentibus se bona temporalia, divitias, honores, amorem hominum, commoda, & voluptates corporis, jucundam, liberam vitam. Hic est spiritus Luciferi: ad hæc invitat sequi se volentes: sed ad quem scopum astutus ille, & maledictus Spiritus deducit? Ah anima mea! non sinas te seduci! scopus illius est, jactura infiniti boni nempe Cœli; & præci-

pitatio

pitatio in infinitum malum, nempe infernum! Siſte hic modicum & imaginare tibi, ac ſi aperiretur coram oculis tuis Cœlum! En! hic ad dexteram cœleſtis Patris tui conſidet IESUS Chriſtus, & penes Illum copioſa Electorum turma in immenſa gloria, & majeſtate! Qui ſunt hi, qui Chriſto proximè aſſident? ſunt Apoſtoli, qui diverſis carceribus mancipati, tanquam ſeductores è civitatibus ſuis olim ejecti, ubique Gentium maximas perſecutiones paſſi ſunt! Sunt Monachi, Eremitæ, viri Apoſtolici, qui inter mille calumnias, opprobria, & injurias gloriam DEI promoverunt! Sunt Virgines, quæ amore JESU Chriſti tot tentationes, contemptus, adverſitates cum patientia ſuperarunt! Hi omnes prout in terris paſſione ſua proximi erant JESU Chriſto, ita Eidem nunc in Cœlo ſunt viciniſſimi. Conſidera nunc apertum antè te infernum! En! hic ignito in lacu torquetur Lucifer; & circa illum innumera damnatorum multitudo, immenſis tormentis excruciatur! Qui ſunt hi infelices, qui tam profunde orco immerſi, lucifero tam vicini ſunt? Ah! anima mea! Sunt magni Domini, & Dominæ, qui ſuo tempore ab omnibus ſummo in honore habebantur: abundantia divitiarum, & rerum temporalium illos in hunc

hunc ignem præcipitarunt! Sunt Domini & Dominæ potentes olim, & in maximis dignitatibus conſtituti! Potentia, & auctoritas illos condemnarunt! Sunt viri & fœminæ, qui carnem ſuam foverunt deliciis, commodis, & voluptatibus! Sed hæ eædem in hanc illos miſeriam conjecerunt! Invitationem Luciferi ſecuti ſunt in terris, & ideo nunc in inferno eidem proximi ſunt.

AFFECTUS,

O mi JESU! quo diutius Te conſidero, eo perſpicio clarius, quod nec intellectus meus, neſcio, qua cæcitate percuſſus veritatem hucuſque ſatis cognoverit, nec voluntas mea languida virtutem ſerio amaverit! Tu præter paupertàtem, contemptum, opprobria, dolores & afflictiones in terris æſtimaſti nihil: hæc ſola tanquam media ad ſanctitatem obtinendam certiſſima, & tanquam ſublimis in Cœlo gloriæ pignora omnibus commendas. Divitias contra, bona temporalia, honores, voluptates, & corporis commoda contemnis, & pro periculoſiſſimis illiciis, & cauſis damnationis æternæ habes! Hoc Tuum, o JESU eſt judicium, Tua doctrina, hic ſpiritus Tuus! Et quid ſentio ego? O vix audeo oculos attollere & Te è cruce pendentem intueri! Quod Tu æſtimas, vilipendo, quod Tu amas,


odi ego, quod tu amplecteris, ego a me removeo; Invitationes a Lucifero factæ mihi placent: & Tuæ, mi JESU! displicent! An cor meum tuo magis dissimile esse posset, si non Tibi, sed Lucifero servire statuissem? Quid ergo mihi facto opus? Ad Te o mi JESU! recurrendum mihi est; tu mihi tanquam perfectissimum omnis sanctitatis exemplar versari ob oculos perpetuo debes: quod tu amasti, amare ego: quod odisti, odisse & ego debeo! Ante te itaque prostratus...

III. P. *Quem sequi oporteat, Christum, an Luciferum, debet conjici ex fine, propter quem nos DEUS ad statum Religiosum vocavit.* Ingressus es Religionem, ut DEUM in hoc mundo ames, & glorifices, & quidem modo quodam perfectiore; utque in altero fruaris Illo in æternum, & quidem in gradu sublimiore. Qvomodo vero hoc fieri potest sine accurata JESU Christi imitatione, & sequela constante? Perpende attentius sequentes veritates, & impossibilitatem quasi manibus palpabis.

1. Veritas. *Perfectio est valde magna, & specialis DEI gratia.* DEUS est infinita sapientia, potentia, & fons omnis boni inexhaustus: Et tamen cum omnibus his perfectionibus nil mihi dare majus potest, quam

perfe-

perfectum amorem, & unionem secum: hæc est gratia gratiarum, compendium omnium Ejus miserationum, & pretiosissima divitiarum margarita. Certe anima, quæ revera perfectionem attingit, tam altum statum attingit, ut non solum omnes totius mundi Monarchæ respectu illius tanquam nihilum habendi sint, sed ut multi Electorum in Cœlo milliones primas illi deferre per totam æternitatem debeant.

2. *Veritas. Hanc gratiam nemo consequi potest, nisi per media a DEO ad hoc destinata.* Evehere animam ad perfectionem, solius DEI misericordiæ opus est. Ille tam parum tenetur hanc tibi gratiam præstare; quam parum potens Rex tenetur pauperculam rustici filiam sibi sponsam eligere, & penes se in Solio collocare! Ergo tibi ad suum arbitrium, certas conditiones ponere, quas implere: & certa media præscribere potest, quibus uti debes, si hanc consequi gratiam velis,

3tia Veritas: Hæc media consistunt in universali & perfecta JESU Christi sequela. Ego sum janua, inquit Christus, per me si quis introierit, hic salvus erit: & hic intrabit & exibit, & pascua inveniet! Hic est Filius meus dilectus, ait Pater æternus, in quo mihi bene complaceo; hunc audite. En anima mea! unica


ad Sanctitatem janua est JESUS! Unicum sanctitatis exemplum, quod nobis cœlestis Pater misit, est JESUS! Unicus Magister, & Dux Sanctitatis, veram nobis viam ostendens, est JESUS! Si per hanc januam intrare vis, perfectionem, amorem purum, & intimam cum Illo unionem invenies! Sed bene perpende, unicam tantum esse januam, extra quam spes nulla.

AFFECTUS.


Fidei. Video quidem, quam diversa sint mea a Tuis judicia: Sed quoniam Tu es æterna veritas, verbis Tuis credo, quod veræ divitiæ in paupertate, vera gloria in contemptu, vera pax in persecutionibus, vera libertas in subjectione, vera ad Sanctitatem via in tua sequela, & imitatione & vera tui sequela in abnegatione sui universali, & adversitatum amore consistat! Credo, o mi JESU, nam ita Tu docuisti, vixisti, amasti. Si ergo amo, & vivo, sicut tu vixisti, & amasti, si patior, sicut tu passus es, spiritum tuum habeo, & sperare possum, jungendum me Tibi aliquando familiariter. Alia via ambulare, nil est nisi fucus virtutis, fraus, hypocrisis, vanitas quæ coram Te subsistere non potest.

Desiderii unionis cum DEO. O igitur mi JESU! Tu unicum meum bonum es, in quo

omnis

omnis mea felicitas consistit. Ad Te suspiro; & anhelo ex toto corde. Volo te amare in hoc mundo, & quidem perfecte; volo Te frui in altero, & quidem in eo gloriæ gradu, quem Tu mihi ab æterno prædestinasti. Scio: via est ardua: abnegatio totalis meæ voluntatis, perpetuum silentium in mei contemptu, & affabilis, & amica conversatio cum hominibus mihi contrariis generosam de me victoriam postulant. Sed enim! reclamet natura, opponat se, mihi fixum est, o JESU! Te sequi! Et quomodo aliter possum? an difficile mihi esse potest, propter JESUM homini obedire, postquam JESUS propter me iniquissimo Judici obedivit? An difficile accidere mihi potest, propter JESUM contemptum, & injurias perferre, postquam JESUS propter me duos inter latrones in crucem actus est? An grave esse potest, propter JESUM amare homines mihi contrarios, postquam JESUS propter me carnifices suos, & latrones in cruce amavit? Possumne recusare pro DEO illa pati, quæ DEUS pro me passus est? O mi JESU! ab hoc momento volo vestigiis tuis insistere, volo facere, quæ Tu fecisti, & pati, quæ tu passus es! Ah! largire mihi spiritum tuum, spiritum subjectionis, & humilitatis; spiritum mansvetudinis, & amoris!

DIES

DIES SEXTA

MEDITATIO PRIMA.

De tribus hominum Classibus.

I. P. *Primam hominum claſsem conſtituunt illi, qui voluntatem quidem habent tendendi ad perfectionem, & Chriſtum ſequendi, ſed non ſeriam.* Si hanc hominum claſſem penitius noſſe deſideras, veni mecum ad noſocomium. En hic jacet infirmus, caloribus nimiis æſtuans, qui creſcente indies malo morti proximus eſt. Advocatur Medicus, qui ſtatu infirmi probe explorato, morbum quidem eſſe periculoſum ait, ſed ſi præſcriptis medicinis diligenter uti velit, non incurabilem. Sed idipſum eſt, quod infirmo non placet. Ah, ait, ego deſidero ex corde recuperare valetudinem, ſed ita, ut medicinis uti non cogar. An æger iſte habet veram voluntatem convaleſcendi? Ex noſocomio confer te ad Cellam animæ Religioſæ! En hæc gravi, & diuturno tepore oppreſſa jacet! audit ex Directore ſuo, malo huic adhuc ferri opem poſſe, ſed oportere, ut ſe reſolvat ferventer orare, opera ſua cum recta intentione, & ſpiritu amoris peragere, in præſentia DEI ambulare,

re, ſeque per frequentes affectus illi unire, ſe abnegare frequentius &c. ita patere adhuc ad ſanctitatem januam! Sed idipſum animæ tepidæ diſplicet. Ego, ait, volo perfectionem attingere, ſed his mediis uti nec poſſum, nec volo! an habet hæc anima ſeriam, voluntatem pertingendi ad perfectionem? Væ tali animæ! multa illam manent mala. Nam

1. *Talis tepida voluntas facit, ut DEUS illam in peccata gravia cadere ſinat.* Ille ipſe declarat hoc duabus Parabolis: Primam deſumit ex terra: terra, inquit, venientem ſæpe ſuper ſe imbrem imbibens, & non faciens fructum, reproba eſt, & maledictioni proxima! Secundam deducit ex aqua tepida, quam nemo ſine nauſea, diu in ore retinere poteſt. Utinam frigidus, aut calidus eſſes, ait! ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo! Ah! anima mea! quis hæc, & de quo locutus eſt?

2. *Talis tepida voluntas facit, ut DEUS illam demum perire ſinat.* Hanc rurſus veritatem bina ſimilitudine declarat. Prima eſt de arbore in campo, cui, quia præter folia in ea nil invenit, his verbis maledicit: nunquam ex te fructus creſcat in æternum. Secunda eſt de arbore in horto; hanc tribus conſequenter annis ſine fructibus reperit, & ideo ad hor-

tulanum

tulanum converſus, ait: Succide illam; ut quid locum occupat? interrogo iterum: quis hæc, & de quo locutus eſt?

AFFECTUS.

Timoris Heu! quo terrore obruor o mi DEUS, dum has ex ore tuo veritates percipio, & conſidero! Poſſum adhuc damnari, ego, quem DEUS præ tot hominum millibus ad Religionem vocavit! quem tot gratiis prævenit, quem ad tantum gloriæ gradum prædeſtinavit! Poſſum damnari, & quidem ob meam ſolum tepiditatem damnari poſſum! o quantum ergo malum eſt tepiditas, quæ facere poteſt, ut miſericors DEUS mei nauſeam concipiat, & me ex ore ſuo evomat!

Doloris. Habe mecum patientiam, o mi JESU! doleo nunc ex corde de mea hucuſque negligentia, de abuſu tot gratiarum, & tot mediorum neglectu! Vixi hactenus, quaſi ſine ulla cura ſeu gloriæ tuæ, ſeu ſalutis meæ! Per tuam miſericordiam agnoſco nunc totam meam malitiam, & ſerio propono, Tibi impoſterum, o mi JESU!..

II. P. *Secundam hominum claſſem conſtituunt illi, qui quidem voluntatem tendendi ad perfectionem habent ſeriam, ſed non univerſalem, & firmam.* Revertamur in noſocomium: En! hic jacet infirmus a priore longe diverſus: deſiderat

enim

enim convalescere, & ut convalescat, paratus est, uti mediis: non tamen omnibus: usum ferri, ignis, & valde amara alia excipit. Quid de hoc ægroto sentis? Voluntatem convalescendi habet, sed non firmam, non universalem. Sicut hic æger, ita multi Religiosi sunt. Desiderant perfectionem attingere, & ut attingant, parati quoque sunt media adhibere, sed non omnia. Derelictiones internæ, graves tentationes per plures annos, humiliationes, contemptus sui sine data causa & alia ejusmodi nimis difficilia illis videntur. Quid ergo censendum de talibus? voluntatem habent, sed non firmam, non universalem. Quid autem talibus fiet? adverte bene, et imprime tibi sequentia:

1. *Talis vivit vitam sine solatio.* Si indifferentem ad omnia animum Religiosus non habeat, & se DEO totum sine ulla exceptione tradat, numquam subjugabuntur passiones. Superbia, & honoris studium, pertinacia judicii, & voluntatis, iracundia, tristitia, & reliquæ malæ inclinationes, quas secum ad Religionem detulit, post 20. annos tam erunt vivaces, & importunæ, quam fuerint in primo ad Tyrocinium ingressu. Quin augentur & crescunt cum annis, sicut arbores, quæ omni anno majores, & solidiores evadunt. Talis

Reli-

Religiosus onus obedientiæ semper magis sentiet, contemptum sui semper feret ægrius, in loquendo semper evadet liberior, in conversatione cum proximo iracundior, tristior &c: An tali in animo esse pax ulla, aut ullum solatium potest? Passio non mortificata hoc est in anima, quod vivus serpens in corpore. Quam diu serpens quiescit, tamdiu homo est sine dolore: quamprimum vero evigilat, pungit, mordet & cruciat hominem. Et quamdiu talis anima est sine perturbatione? quamdiu quiescunt passiones. Cum primum ingruat contemptus, injuria, mandatum minus arridens, evigilant, tumultuantur, & cruciant. Ad hæc omnia cæcutimus, & fontem miseriarum, & afflictionum nostrarum non agnoscimus: quærimus ubique inimicum, & adversarium nostrum, sed in corde non quærimus, ubi tamen revera latet!

2. *Talis anima vivit sine progressu ullo in via perfectionis.* Effatum Christi est, quod mutationi nulli subest: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; hoc est: qui non moritur ex integro omnibus creaturis, & meæ se directioni totum sine ulla exceptione tradit, ad unionem mecum, & amorem perfectum pertingere non potest. Qvare? audi causas:

1. DEUS

1. DEUS eſt abſolutus Dominus: Illi liberum eſt, ſpeciales illas gratias, quæ ad obtinendam perfectionem neceſſariæ ſunt, dare, cui vult. Jam vero Ille decrevit, has nulli dare alteri, quam qui ſe DEO totum ſine exceptione tradit. Et quis eſt homo, qui hoc DEI decretum carpere audeat?

2. DEUS est Majeſtatis infinitæ Rex. Decet, ut Illi ſoli cor totum cum omnibus ejus affectibus donetur: hoc jure ſe nunquam abdicabit, nec animam ullam unquam ad intimam ſecum unionem admittet, quæ ſibi vel minimum reſervare voluerit.

AFFECTUS.

Agnitionis. Infirmus iſte vera eſt animæ meæ effigies, o JESU! quemadmodum ille convaleſcere cupit, ſed ſine labore, & amaris medicinis: ita ego volo perfecte eſſe humilis, ſed ſine contemptu: perfecte obediens, ſed ſine mandatis mihi non arridentibus: perfecte manſvetus, ſed ſine injuriarum tolerantia: verbo, volo fieri Sanctus, ſed nolo laborare, nolo pati. Sed an hoc non eſt, reſiſtere voluntati DEI, doctrinæ & exemplo JESU Chriſti, directioni & internis admonitionib9 Spiritus ſancti. O me ſtultum! nemo ante me Sanctus fuit, nec poſt me ullus erit, qui non fuiſſet multa paſſus, & veſti-

vestigiis Christi fideliter institisset, debeo pati, me ipsum annihilare, mihi ipsi mori, si perfectus evadere desidero! Ita est: hæc est tua doctrina, o JESU! hæc est ad Sanctitatem via! igitur volo Tecum pati, volo pati, donec omnes meæ passiones & inordinatæ inclinationes subjugatæ...

Propositi. An mihi ipsi ita esse inimicus possum, ut crucem majorem eligam, & fugiam minorem! Ah! mi DEUS, illumina me, ut videam, quod hucusque non vidi! modica superbiola plus inquietudinis, & perturbationis causat in anima, quam perfectissima humilitas: modica ira majori amaritudine cor replet, quam maxima mansvetudo: modica judicij, & voluntatis tenacitas magis cruciat, & affligit animum, quam perfecta obedientia, Eja ergo, si pati debeo aut propter virtutem, aut propter vitia, malo pati propter virtutem propter Te & pro Cœlo.

P. III. *Tertiam hominum classem constituunt hi, qui seriam, universalem & firmam voluntatem habent tendendi ad perfectionem, hoc est, qui parati sunt non solum omnia facere, sed etiam omnia pati, quæ DEUS vult, ad obtinendam perfectionem.* Utilitas, quam anima in tali statu sperandam habet patebit ex sequentibus.

Ta-

1. *Talis anima infallibiliter pertingit ad perfectionem.* Eadem menſura, qua ſe homo DEO tradit, communicat ſe DEUS homini! Cum ergo talis anima ſe DEO totam, & ſine exceptione tradat, ita, ut parata ſit, & agere, & pati, quæcunque DEO placent, etiam DEUS tali animæ ſe communicat totaliter, & ſine exceptione, & cito extollit illam ad ſtatum perfectionis.

2. *Talis anima certiſſime pertingit ad unionem cum DEO.* Unio & familiaritas cum DEO eſt remuneratio, quæ perfecto amori promittitur: Si quis me diligit, ait Salvator, diligetur a Patre meo, & ego, & Pater meus ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.. Quis autem dici poteſt, habere illum perfectum amorem, cui tanta gratia promittitur? ille profecto, qui ſe totum DEO tradit.

3. *Talis anima ſine dubio obtinet a DEO multas alias, & ſublimes gratias.* Deus eſt infinite liberalis, & abundantes gratias in animam talem effundit, quæ ſe illi totam tradit: tales gratiæ ſunt, quies dulciſſima animi, pax, & gaudium cordis, tenerrima devotio, & affectus erga DEUM, & alia dona Sancti Spiritus: & hoc eſt illud deſiderabile cen-

tuplum-

tuplum, quod Christus illis promisit, qui propter Illum seipsos, & omnia generose reliquerint.

AFFECTUS

Timoris. Mi DEUS quam amabilem, & misericordem Te mihi præstas! per tuam gratiam cognosco nunc viam, quæ ducit ad Sanctitatem: agnosco. quod infallibiliter ad eam perventurus sim, dummodo me Tibi totum, & sine exceptione tradam: agnosco tuam voluntatem Sanctissimam, me eo deducendi! quanta hæc tua erga me misericordia! Sed hæ ipsæ miserationes, & gratiæ tuæ timore me replent o DEUS! nam cui plus datum est, ita sonat effatum, tuum, plus requiretur ab illo! Heu quam infelix essem, si eadem gratiarum abundantia, quæ me ad sublimem evehere in Cœlo gloriam deberent, me profundius in inferno mergerent! Certum est dari animas, pro quibus medium non datur: aut sublimes erunt in gloria, aut profundæ in inferno! An non ego sum ex illarum numero? nescio! terribilis incertitudo!

Propositi. Ut ergo in tempore mihi bene consulam, viam hodie ingrediar, quam agnovi. En! mi JESU! hoc momento me directioni tuæ sine exceptione, & reservatione ulla trado! Hoc unicum Te obtestor, da mihi gratiam te perfecte amandi, & me

tibi

Tibi intime uniendi: reliqua omnia tuo Sanctissimo arbitrio relinquo. Omnia adversa, quæcunque mihi accident, considerabo tanquam dispositiones tuæ Paternæ Providentiæ! & cum subjectione humillima acceptabo tanquam media ad sanctitatem. O mi JESU, conserva hánc in me voluntatem!


MEDITATIO SECUNDA.

De tertio humilitatis gradu, seu de amore contemptus.

I. P. *Ut amemus contemptum, requirit æquitas.* Tam cæci sumus, o anima mea, & tam alte, & firmiter cordi nostro insita est æstimatio propria, ut injuriam nobis fieri arbitremur, si contemnamur. Et tamen certum est, quod nobis nil magis quam contemptus competat, imo, quod omnes in mundo homines non ita nos contemnere possint, prout meremur, Collige animum tuum, & veritatem hanc clarissime perspicies.

1. *Deus potest, & debet peccatum punire.* Hoc nos fides docet. Deus est infinite justus. Sed sicut infinite justus non esset, si bonum non remuneraretur, ita non esset

infinite

infinite juſtus ſi mala non puniret. Credis hæc? proſequere,

2. *Deus poteſt peccatum punire, prout illi placet!* Quemadmodum Deus eſt infinite juſtus, ita etiam eſt abſolutus Dominus. Jlle poteſt peccatum punire in corpore doloribus, in anima angoribus, & afflictiomibus, in honore contemptu: Opportuniſſima & maxime conveniens pœna videtur eſſe contemptus. Nam quia peccatum eſt contemptus DEI, recte & juſte contemptu punitur. Vel quid æquius eſſe poteſt, quam ut homo ille contemnatur, qui auſus eſt, DEUM ſupremum ſuum Dominum contemnere?

3. *DEUS poteſt peccatum punire, per quemcunque illi placet.* Jn Davide punivit peccatum per proprium filium. Jn inobediente Propheta per urſum, qui illum jugulavit. Jn ſcelerato Heliodoro per Angelum, qui illum flagellavit. Jn ſuo filio JESU Chriſto noſtra peccata punivit per Apoſtolum, qui illum prodidit. Etiam in me ergo punire, & mihi contemptum immittere poteſt, per quemcunque illi placet.

4. *Quomodocunque DEUS peccatum in hoc mundo puniat, punit tamen illud ſemper minus, ac meretur.* Si uſque ad finem mundi & quidem inter continuas, injurias, calumnias

mnias & perſecutiones viverem, non poſſem omnem illum contemptum reparare, & reſarcire, quo Deum per unicum peccatum veniale affeci!

Collige nunc anima mea, omnem tuam attentionem, & reſponde mihi! An nullum unquam peccatum commiſiſti? Ah! non unum, ſed centena, & fors millenis plura! Ergo poteſt te utique Deus punire, & quidem punire aliorum contemptu, ſi velit? etiam hoc negari non poteſt. Qualeſcunque tibi contemptus immittat, ſemper erunt minores, & pauciores, quam per unicum peccatum veniale promerita es?

Et hoc certum eſt. Quid ſequitur? Sequitur, quod de nullo contemptu conqueri unquam poſſis, quia nulla ſit tibi injuria: Sequitur, quod in ipſo etiam contemptu Deum laudare, & benedicere debeas, quia minores ſunt tuis meritis: Sequitur, quod æquum ſit, ut in contemptu & opprobriis vitam agas.

AFFECTUS.

Agnitionis & humiliationis. Juſtum eſt, o mi Deus! fateor, juſtum eſt, ut in contemptu vitam agam, & omnia opprobria &c. tamquam effectus Tuæ miſericordiæ conſiderem! Ah! quid ſunt opprobria, & con-



temptus hujus mundi omnes respectu illius, que meritus sum? Si Tu mi JESU, agere mecum secundum justitiam tuam voluisses, ubi essem hodie? Dicam, quod est; nam coram Te occultare nil possum, o infinita Omniscientia! Ah! essem in inferno! terribilis veritas: essem in inferno: ego ab Electis omnibus, ab omnibus in inferno reprobis, ab omnibus Angelis, & hominibus maledicerer in æternum! Tu hæc o mi JESU, per tuam misericordiam infinitam a me avertisti, & loco meledicti æterni, contentus es, si illos contemptus perferam, quos mihi in hoc mundo immittes! An non hos tanquam effectus tuæ misericordiæ merito considerare, & cum gaudio tolerare oporteret?

Propositi. Jta est, mi JESU! hæc cogitatio nunquam amplius ex animo excidet: peccavi, & meritus sum ab Angelis, & Hominibus, ab Electis, & reprobis in æternum maledici, & omnibus injuriis, & contumeliis saturari! Hoc in omni occasione in memoriam mihi revocabo, & hujus veritatis memor in omni contemptu tuam bonitatem, & misericordiam laudabo.

II. P. *Ut amemus contemptum, exigit utilitas.* Verum quidem est, quod omnis contemptus inamænus, & amarus accidat, sed

quam

quam multas res natura ſua inamænas & amaras amamus, ſi magnam nobis afferre poſſe utilitatem putemus? Ægro, magnis doloribus vexato charius nil eſt in orbe, quam medicina , utut amariſſima, dummodo ſecurus ſit de reſtituenda ſibi per hanc valetudine. Cur ergo nos contemptum non amemus, ſi conſideremus, magnam & multiplicem nobis utilitatem per hunc accidere? Quæ autem eſt hæc utilitas?

1. *Præter alias; prima utilitas eſt, quod ſuffocet in nobis ſuperbiam.* Maximum malum & impedimentum perfectionis eſt ſuperbia, & vanitas. Quamdiu minima ſui ipſius æſtimatio, vanæ gloriæ deſiderium, & complacentia ob hominum laudes in corde reſidet, tamdiu Deus in illud intrare renuit. Nauſeat Deus cor tale, fugit, & vacuum cæleſtibus illuminationibus, affectibus, motibus: vacuum gratiis ſpecialibus, & ſpeciali ſuæ providentiæ directione dimittit! An eſſe majus malum poteſt animæ ad perfectionem tendenti? Quale eſt contra hoc remedium? Crede, anima mea, & crede tamquam veritatem indubitatam: efficaciſſimum, ſecuriſſimum, & præſentiſſimum medium eſt contemptus. Sicut ad reſtinguendum incendium nil melius eſt imbre e nubibus decidente,


ſic ad extirpandam ſuperbiam efficacius nihil eſt hominum male de nobis ſentientium, contemptu. Abſque hoc medio pauci veram humilitatem aſſequuntur. An ergo, non deſiderandus avide, & cum gaudio amplectendus eſſet contemptus? an non DEUS, qui eum immittit, ex corde laudandus propterea, & benedicendus? Medico, qui nobis, licet non ſine dolore dentem evellit, aguntur gratiæ, eo quod noſtris nos doloribus liberaverit; an non majores gratias meretur DEUS, qui nos aſperis licet mediis a tanto malo, quantum eſt ſuperbia, liberat?

2. *Utilitas. Contemptus inſerit cordi noſtro humilitatem.* Maximum bonum, & optima ad perfectionem præparatio eſt humilitas. Hanc ſi in corde noſtro invenit DEUS, illud ingreditur, & abundantia ſuarum gratiarum replet. Cor humile valli non abſimile eſt: Nam quemadmodum copioſæ ex imbribus aquæ magna vi ex montibus in valles præcipitant, ibique colliguntur: ita gratiæ cœleſtes a ſuperbis reſilientes in valle cordis humilis colliguntur. An majus eſſe bonum poteſt? Sed quod eſt medium, virtutem hanc aſſequendi? Intuere JESUM, anima, & diſce contemptum amare. Salvator hic noſter cum aptiſſima ad omnes virtutes obtinendas media nobis oſtenderet; quale humilita-


tem

tem assequendi medium ostendit? nullum aliud, quam contemptum, opprobria, illusiones, & generosum in his silentium! Si hoc feceris, dabit tibi JESUS spiritum suum, spiritum humilitatis, imo ex parte illum jam habes: nam spiritus humilitatis JESU Christi est, amare cotemptus, in iis lætari, & tacere.

AFFECTUS

Ah! mi JESU Redemptor dulcissime! Agnosco, quid Tibi in corde meo displiceat, & quid Te, quin in illo habitare velis, absterreat! Illud tibi tam exosum desiderium vanæ gloriæ, & æstimationis ab hominibus aucupandæ, & ubique inter omnes eminendi cor meum Tibi exosum reddit! O infelix gloriæ studium quot me hucusque gratiis, quot illustratiouibus, & consolationibus cælestibus me privasti! quantum me a DEO separasti! Frustra sum; quamdiu hanc inclinationem non exuo, Tibi, ô JESU, appropinquare non possum! Tam humilis DEUS, & tam superbus homo familiariter uniri invicem non possunt! Aut tu ergo cor tuum mutare & imposterum superbiam, honores &c. amare debes, aut ego meum mutare, & humilitatem, & contemptum &c. amare debeo! Imo: ego meum cor mutare debeo. Sed, o mi JESU! ego ipse verbis meis, & promissis fidere non possum! Maledicta

hæc


hæc vanæ gloriæ cupiditas tam alte infixa eſt cordi, ut nulla vi evelli queat! Toties illam execratus ſum, & coram conſpectu tuo ejuravi, & tamen tam firmiter, quam olim, adhuc hodie cordi inhæret! Sed enim hoc malum mihi ipſi tribuendum eſt: propoſita enim mea quoad hoc punctum nil aliud erant, quam inania verba, quibus me ipſum decepi! Si ex corde procederent, oporteret me utique illis gratias agere, qui me contemnunt, oporteret utique omnes occaſiones me humiliandi avide, & cum gaudio arripere. Nempe, o mi JESU! hæc infelix arbor, evelli niſi per omnipotentem tuam dexteram evelli vix poterit! Converte igitur tuos oculos in me, o miſericordiſſime JESU! dele, & extirpa in me omne vanæ gloriæ deſiderium, & fac, ut in meo corde nemo dominetur præter Te ſolum.

P. III. *Ut amemus contemptum. exigit illius ſublimitas, & præſtantia.* Si ſciremus, quam ſublimis, & excellens in oculis DEI ſit ſtatus, & conditio contempti, illas difficultates, quas natura in ferendo contemptu ſentit, cum gaudio in nos ſuſciperemus! Perpende ergo bene, quid ſit, tolerare contemptum patienter, & cum ſilentio.


1. Præſtantia. Contemptum patienter, & cum

ſilentio

ſilentio tolerare eſt maximum ſacrificium, quod DEO fieri a nobis poteſt. Deſiderium eminendi, & æſtimationem, laudemque hominum aſſequendi fere omnium hominum corda occupat. Homines, qui ſine difficultate omnibus commodis ſe privant, corpus jejuniis, aliiſque auſteritatibus macerant; homines, qui dolores corporis ferunt patientiſſime, ſæpe nec minimum contemptum, nec unicam calumniam concoquere norunt; quin ad unicum ſæpe verbum minus illis, ut videtur, honorificum efferveſcunt! Huic ſcopulo impacta multorum Sanctitas, triſte naufragium facit! Tam alte nempe hæc paſſio inſidet animis! tam difficulter eradicatur! Sed quemamodum ſine maxima violentia, naturæ illata id fieri non poteſt; ita etiam maximum eſt ſacrificium, quod facere homo DEO poteſt, & in quo ſibi DEUS ſumme complacet!

2. *Præſtantia. Contemptum patienter & cum ſilentio tolerare, eſt medulla & punctum eſſentiale ſequelæ, & imitationis Chriſti.* Si DEUM conſiderate intueri vis, anima mea, invenies nec unicum ab eo paſſum factum eſſe ſine contemptu. Non orabat ſemper, non ſemper prædicabat, non erat ſemper in doloribus, vel afflictionibus: ſed contemptus illi nunquam deerat. Contemptus erat in nativi-

tate


tate ſua in ſtabulo Bethleemitico; contemptus erat qua infans in fuga ſua in Ægyptum: contemptus ut juvenis in officina in Nazareth: contemptus qua vir in prædicatione, contemptus moriens in cruce: erat contemptus ratione doctrinæ, virtutum, miraculorum: contemptus quoad humanitatem & Deitatem. An ergo dici non debet, proprium, & quaſi eſſentialem characterem Spiritus Chriſti eſſe contemptus amorem? & ſine hoc amore Spiritum Illius conſiſtere in nullo poſſe?

3. *Præſtantia. Contemptum patienter & cum ſilentio tolerare, eſt clavis ad Cor JESU, & ad unionem cum illo.* JESUM ſine contemptu fruſtra quæris; nec Oratio, nec ſuſpiria, nec jejunium, nec vigiliæ, nec quodcunque aliud pium exercitium multum proficiet! Spiritum JESU Chriſti induere debes, & amare cum Illo contemptum. Tales animas amat JESUS: tales illuminat, talibus manifeſtat arcana gloriæ ſuæ: tales ſolatur, & dulcedine amoris ſui paſcit: cum talibus ſe unit, & converſatur familiariter. Hæ ſunt benedictæ illæ animæ, in quibus adhuc in hoc mundo impletur, quod his verbis promittit: En! ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis vocem meam audit, & mihi fores aperit, intrabo ad illum, & cum illo manducabo, & ille mecum! Anima mea! an

non

non miſere cæcutimus, an noſtra væcordia amaris lachrimis non eſt deflenda, ſi de contemptu, vilipenſione triſtamur? An non potius ardentiſſimis votis expetere deberemus bonum hoc, quod Chriſtus tanti æſtimat? an non deberemus illud ambabus ulnis amplecti? Odimus noſmetipſos, ſi id non facimus, & ſumus infirmis illis ſimiles, qui convaleſcere quidem, ſed uti medicinis non volunt!

AFFECTUS.

Oblationis ſui. O mi JESU! quam clare agnoſco, quod ego tibi, & tu mihi uniri non poſſis, quamdiu vanæ gloriæ deſiderium in corde meo dominatur! Abominor ergo illud ex corde, & in perpetuum ex animo meo ejicio! Nolo imposterum, ut vel unus de me cogitet, me æſtimet, amet, laudet vel honoret, & ſi quid tamen ejuſmodi contra voluntatem mihi obtingat, orituram inde complacentiam fugiam, & horrebo, tanquam rem coram oculis tuis abominabilem!

Amo & eligo e contra ex corde ſtatum contemptus. Quidquid contemptus, vilipenſionis per tuam miſericordiam mihi obtigerit, amore tui non ſolum patienter tolerabo, ſed Te etiam propter hæc, tanquam maximum beneficium mihi præſtitum benedicam, & gratias Tibi agam! In manus tuas depono ab hoc mo-

mento omne jus, quod coram oculis hominum habeo, ad honorem, & famam bonam. Ego de illo tanquam de bono alieno amplius sollicitus non ero. Tu, o mi JESU, accepta illud, & sicut Pater cœlestis tuo ad honorem, & famam jure usus est ad gloriam suam per ignominiam, & contemptum, ita tu meo utere. Hoc, o mi JESU, est sacrificium, quod tibi offero, quodque indies renovare, & in quo perpetuo vivere, & mori volo! Sed quis faciet, ut in hac animi constitutione jugiter perseverem? Tu solus id potes, mi JESU! sine Te optima mea desideria, & proposita sicut fumus evanescent! O igitur converte in me illos tuos misericordes oculos, da mihi cor tuo simile; da, ut amem, quod tu amasti & oderim, quod tu odisti! da, ut vanam gloriam, respectum hominum &c. averser, ut Tu aversatus es, & amem ignominias contemptus &c. ut Tu eos amasti! Hanc gratiam per....

MEDITATIO TERTIA.

De interna JESU Christi Passione

Omnes afflictiones internas, quæ nobis in via perfectionis occurrere possunt, Christus pro nobis pertulit. Imaginare tibi hic, anima mea, amabili-

amabilissimum Redemptorem tuum in monte Olveti sanguineo sudore undequaque perfusum; & terribilem illam agoniam, & connexas cum illa angustias, & afflictiones diligenter perpende! Sed recordare semper, Divinitatem Christo in sua passione tam parum levaminis vel auxilii præstitisse, quam parum anima Electi in Cœlo corpori suo, quod in sepulchro putrescit, præstat. Christus ita passus est, sicut passus fuisset, si fuisset purus homo, ut tu!

1. *Quod passus est JESUS, erat tristitia immensa.* Causam, ex qua tristitia hæc orta est, erat duplex: prima: ardentissimus Jllius in nos amor. Nunquam aliqua Mater filium suum unicum tam tenere amavit, sicut JESUS amavit quemlibet hominum in specie. Secunda erat Jllius omniscientia: Novit, quod non obstante sua passione pars hominum maxima æternum peritura sit! Imaginare tibi Matrem aliquam tres, vel quatuor filios habentem, quos tenerrime amat. Absente Matre, dum filii in campo ludunt, supervenit tygris, & omnes discerpit. Mater filios suos quærens invenit nihil, nisi unum alterumve eorum os semicorrosum, & calvarias! Quantus putas hujus Matris est dolor? Tantus, quin infinite major erat dolor & tristitia JESU Christi! jam tunc

viva-

vivacissime cognoscentis, quod multi hominum milliones in ignem æternum detrudendi sint!

2. *Quod passus est JESUS, erat timor.* Nil est, quod animam hominis excruciet crudelius, quam mortis expectatio. Contigit interdum, ut homines sani, & juvenes, quibus mors subeunda denuntiata est, præ terrore, & angoribus una nocte toto capite ut senes decrepiti, incanuerint! Quid si tibi nunc denunciaretur, te cras in conspectu totius urbis crudelissimam, & lentissimam mortem subiturum? quid tibi animi esset? quis timor? Ex interno sensu tuo collige, quomodo timor iste Christi animum exagitarit: Non fuit enim unquam homo ullus, qui imminentem sibi mortem cum omnibus circumstantiis, & amaritudinibus æque vivaciter repræsentare potuisset, ac Christus.

3. *Quod passus est JESUS, erat lucta interna.* Luctam hanc in corde JESU excitavit natura, & gratia: Natura partim ob mortis horrorem, partim ob tædium de hominum ingratitudine faciebat passionem Christo intolerabilem, coegitque Illum exclamare: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste! Gratia impulit Illum ad hanc repugnantiam naturæ devincendam. Ideo re-

vocat

vocat quodammodo priorem suam petitionem, & ait: Pater! non mea, sed Tua voluntas fiat! Tribus horis duravit hæc lucta, & animum Illius ita excruciavit, ut sudor sanguineus ex toto corpore copiose proruperit!

4. *Quod JESUS passus est, erat Agonia.* Negari non potest, horribilius homini accidere nil posse, quam agoniam. Propone tibi, anima mea, ob oculos hominem morientem! Heu! quam tristis, & luctuosus aspectus talis est? frigidus sudor stat in fronte: manus, pedes, & reliqua membra obrigescunt; ægerrime trahit spiritum: cor palpitat, & tremit! Vel solus aspectus hominem terrore replet! Converte nunc oculos a moriente in JESUM tuum! En! loco sudoris sanguine vultus totus rubet: frigescunt pedes & manus, procidit in faciem viribus omnibus destitutus, cor tremit, fit in agonia! Quin mortuus fuisset, nisi Angelus illum confortasset, ut suum in cruce sacrificium perficere valeat.

AFFECTUS.

Confusionis sui ipsius. O mi JESU! quam amara est passio tua! & quam magna est tua in passione constantia? Contra, quam parum est, quod ego patior, & quam ti-

midus

midus & væcors ſum ego! Paſſio tua dici poteſt mare amaritudinis, triſtitiæ, afflictionis! Nauſea, horror, anguſtiæ, deſolationes, privatio omnis conſolationis cœleſtis &c. quaſi fluctus ſunt quibus cor tuum exagitatur! In hac tamen terribili tempeſtate, qua jactaris, video te conſtantiſſimum, & immotum! Tu pergis orare, amare, voluntatem Patris tui adorare, & te ad crucem parare! Hæc ſunt ſigna, & argumenta certiſſima vere amantis, & nil niſi DEI beneplacitum quærentis! Si paſſioni huic tuæ meam comparem, quam modicum, & prope nihil eſt, quod patior, & tamen quam facile animo concido? tædium, & tepor in oratione, intermiſſio mortificationum, & bonorum propoſitorum, effuſio ad externa, puſillanimitas, & diffidentia infelices illi effectus ſunt, quos minima in me deſolatio producere ſolet! Ah quanta erubeſcendi coram oculis tuis cauſa! Tu, qui es ipſa innocentia, verſaris in continuis doloribus, & afflictionibus; & ego peccator, infernum toties promeritus nil volo, niſi conſolationes!

Propoſiti. Proh pudor! peccator mollius tractari deſiderat, quam JESUS innocentiſſimus! ſervus viliſſimus recuſat pati, quæ patitur Dominus! Ah! agnoſco ſtultitiam

meam,

meam, & deteſtor! Nunquam querulabor amplius, o mi JESU! in afflictionibus meis! Deſolationem, quam JESUS pro me paſſus eſt, volo & ego amore illius pati! Satis mihi erit imposterum, placere meo JESU! Jllum ſolum quæram, Jllum ſolum amabo, ſicut in proſperis, ita in adverſis, ſicut in conſolatione, ita in deſolatione! Ita nunc, o mi JESU, firmiſſime ſtatuo.

P. II. *Status deſolationis eſt nobis multo utilior, quam ſtatus conſolationis. Veritas hæc pateſcet, ſi ſequentia bene, & attente perpenderis!*

1. *Status deſolationis eſt longe aptior ad faciendum DEO gratum ſacrificium, quam ſtatus conſolationis.* Ah quoties, & quantum nos ipſos, etiam in rebus ſpiritualibus decipimus! ſi animo interdum tranquillo ſimus, ſi tenera devotione cor diffluat, ſi dulces quandoque lachrymæ ora rigent, gaudemus, diem illum beatum, alboque ſignandum lapillo dicimus! Cæci! unus dies deſolationis ſine comparatione hoc melior eſt. Quare? Die conſolationis DEUS tibi aliquid dedit, ſed Tu DEO nihil dediſti. Ille te ad convivium ſuum invitavit, tibique partem aliquam ſuæ dulcedinis deguſtandam obtulit: hæc eſt illius in te liberalitas, non tua erga illum! Animas, quæ

in con-



in consolatione illi adhærent fideliter, millenas habet DEUS, sed paucas, quæ etiam in desolatione. Omni collustratione, & consolatione spirituali destitutum esse, & tamen cum fervore in oratione perseverare: hoc est sacrificium, in quo sibi DEUS complacet: repugnantiam ab omnibus inclinationibus sustinere, cruciari undique tentationibus, & tamen collectam tenere mentem, in sui abnegatione, reliquisque pietatis exercitiis firmum persistere, hoc est, quod cor amabilissimum JESU Christi vulnerat!

2. *Status desolationis deducit animam longe securius, & citius ad perfectum DEI amorem, quam status consolationis.* DEUM perfecte amare, nil est aliud, quam in omnibus rebus solum DEI beneplacitum, & extra hoc in Cœlo, & in terra nihil quærere. Eo momento, quo huc pervenisti, assecutus es perfectum DEI amorem, es in oculis illius sanctus, & perfectus. Quid autem eo nos securius deducet, quam status desolationis? Anima, quæ etiam in hoc statu fidelis permanet, privat se ipsam omni solatio externo, cum interno alioqui a DEO privata sit. Hic ergo manet quasi cruci affixa, moritur sibi sensim, & omnibus creaturis, & cum nullibi ullam consolationem inveniat, nisi in Beneplacito

neplacito DEI, quiescit solum in hoc, & ita purum, & perfectum amorem assequitur.

3, *Status desolationis deducit animam multo securius, & citius ad intimam cum DEO unionem, quam status consolationis.* Si in conclavi cortina a fenestris retrahatur, sol suis, radiis totum conclave illustrat; ita se res prorsus habet cum anima. Si hæc omnem creaturarum affectum exuat, DEUS eam immensæ suæ lucis radiis illustrat, & accensam suæ charitatis flammis unit sibi, & se illi. O quam exoptabilis ergo est status desolationis! Scito: sicut aurum igne purgatur, & omnia, quæ aurum non sunt, consumuntur, ita purgatur anima igne desolationis, & omnis affectus, qui non pure in DEUM tendit, consumitur. Status consolationis amori proprio nimis dulcis, & amœnus est; & ex mille animabus vix unam invenies, quæ per illum ad unionem cum DEO pertingat!

AFFECTUS.

Oblationis. Quid ergo faciam? Video JESUM in statu desolationis, & tristem usque ad mortem! video, perutilem mihi esse statum eundem, & ad unionem cum JESU deducere, quare ergo desolationes horreo? Hoc momento ad pedes tuos, mi JESU, abiectus me tibi totum offero! fac mecum secundum be-

neplacitum tuum! Paratus ſum carere omni ſolatio terreno non ſolum, ſed etiam cœleſti, paratus ſum interne, & externe pati, & affligi, tentationibus, deſolationibus. Unicum meum ſolatium erit beneplacitum Tuum, unicum gaudium mihi erit tecum & propter te omni ſolatio deſtitutum eſſe, & ſcire tuam ſanctiſſimam voluntatem in me perfici!

Implorationis gratiæ. Sed nunc, ſi unquam, oportet, ut cor, manus, & oculos ad Te attollam, & miſericordiam tuam implorem! Privatum eſſe omni cœleſti ſolatio, & tamen terrenum non quærere; ſentire tædium, & tamen in oratione fervere: urgeri tentationibus, mille cogitationibus infeſtari, &tamen collectam mentem ſervare: in corde nonniſi amaritudinem, triſtitiam, puſillanimitatem, repugnantiam naturæ ſentire, & tamen manſvetum eſſe, converſari amice, & ſvaviter cum proximo pulchræ quidem, ſed quam arduæ ſimul ſunt virtutes? In his certe virtus & perfectus amor, & unio cum Deo conſiſtit! Sed ad hoc robuſta, & ſpecialis Dei gratia requiritur! ad Te ergo, mi JESU! me converto.

DIES




DIES SEPTIMA.

MEDITATIO PRIMA.

De externa Jesu Christi passione.

Nunquam in corpore noſtro tantum patiemur, quantum in ſuo paſſus eſt Chriſtus! Si cognoſcere, ſaltem aliquommodo, cupis anima mea, quanti in paſſione Ejus dolores fuerint, perpende attente ſequentes circumſtantias.

1. *Dolores Chriſti erant univerſales, & ſine exceptione ullius membri.* Intuere JESUM a capite ad calcem, & vide, num vel unicum membrum dolore careat. Genæ intumuerunt ab alapis! Os cruciatum ſiti, & amaritudine fellis! Capilli tam capitis, quam barbæ evulſi! Oculi ſuffuſi ſanguine! Caput ſpinis perforatum! Manus, nervi, caro clavis pertuſa! Pectus, dorſum flagellis dilaniatum! pluribns locis ipſa oſſa, avulſa carne apparent! Quanti, quam intolerabiles dolores! Nondum ſatis! tenſi crudeliter nervi, emota violenter ex juncturis oſſa, pedes clavis affixi, verbo: totum corpus vulneribus obſitum! Iſaias Propheta de JESU, Ejuſque paſſione ita loquitur: Vidimus eum

despectum, & quasi novissimum virorum, virum dolorum; non erat Ei aspectus &c. Infirmitatem nostram pertulit, & dolores nostros Ipse portavit: nos putavimus Eum quasi leprosum, & percussum a DEO & humiliatum!

2. *Dolores Christi erant crudelissimi & sine comparatione majores, quam ullus unquam homo passus est-* Duplex est causa: *prima* teneritudo corporis: nam, ut docet S. Bonaventura, corpus illius in ipsis plantis erat tenerius, quam pupilla oculorum in aliis hominibus. *Secunda:* quia eadem illa membra acerbissime cruciabantur, quæ maxime erant sensibilia. O quantus fuerit dolor, dum spinæ tam alte in caput adigerentur, ut non solum cutem, sed caput, & nervos penetrantes per aures, oculos exirent! quantus fuerit dolor, dum clavi ferrei tam validis malleorum ictibus manibus, pedibusque incuterentur, ut nervi & ossa conquassarentur! quantus dolor fuerit, dum totum corporis pondus e clavis & nervis læsis penderet!

3. *Dolores Christi erant sine ulla refocillatione.* Pendebat jam una, & altera hora e cruce, omnis fere sanguis effusus erat, & sitis Illum acerbissime cruciabat, dum clamaret, & potari peteret! Ah! quam vilis, & exigua


refocil-

refocillatio fuisset haustus aquæ? Sed nec iste concedebatur: verum hujus loco acetum felle mixtum porrigebatur, ut quemadmodum reliqua omnia tormenta, & hos ultimos angores sine ullo levamine sustineret!

AFFECTUS.

Gratiarum actionis. Nescio mi JESU! quid dicam, aut cogitem, dum Te ita patientem intueor! Si Tu, mi JESU, tot peccata, quot ego commisisses, si toties Patrem tuum cœlestem offendisses, & infernum, ut ego, promeritus fuisses, an plus pati, vel majorem pœnitentiam agere potuisses, quam revera egisti? Hæc omnia non propter peccata tua (tu enim essentialis sanctitas peccare non poteras:) sed propter mea passus es! Fides docet, te propter scelera mea sanguinem sudasse, flagellis dire concisum, ut stultum explosum, & tandem ut malefactorem in cruce mortuum fuisse! O JESU! amabilissime JESU! quanta hæc tua bonitas & misericordia! O utinam mille linguas haberem ad Te, ut vellem, & deberem laudandum, & benedicendum! Infinitas igitur Tibi gratias ago pro singulis guttis sanguinis quas pro me fudisti, pro omnibus alapis, & flagellorum ictibus, pro omnibus doloribus, & tormentis, quæ pro me sustinuisti!

Propositi.



Propositi. Sed an hoc sufficiet? JESUS Christus pro me non solum oravit, sed etiam passus est! pati, pati debeo, si amori illius respondere desidero! Agnosco, æquum hoc esse, & ideo en sacrificium, quod Tibi irrevocabiliter offero! 1. Tu nosti, o mi JESU, quos mihi dolores, morbos, afflictiones immittere decreverit Pater æternus! En! jam hoc momento adoro has Illius de me dispositiones, & desidero, ut in me quam perfectissime impleantur 2. Tu nosti, mi JESU, quando & quo mortis genere decreverit, me ex hoc mundo ad se evocare, en! jam nunc adoro hoc illius de me decretum, & me Illi ex corde subjicio: volo pati, volo mori, & quidem ex puro tui amore; sicut ex amore mei passus & mortuus es!

P. II. *Quam magni & acerbi erant Christi dolores, tanta, & tam mira erat Illius patientia!* Circumstantiæ, ex quibus id colligere potes, sunt sequentes.

2. *Christus dolores suos pertulit cum silentio, & sine ulla querela.* Spiritus sanctus, dum de Christo loquitur, comparat Illum cum Agno: Nam quemadmodum innocuum hoc animalculum se tonderi, aut ad macellum duci sinit, quin se opponat, vel clamet,

met, ita JESUS ſe maximis tormentis excruciari, & rapi ad crucem permiſit, quin reſiſteret, vel minimum querularetur. Flagellabatur JESUS, & toto corpore dilaniabatur; Ille vero tacebat! Caput acutiſſimis ſpinis configebatur; Ille vero tacebat! Crux humeris imponebatur, quam cogebatur extreme debilitatus bajulare; Ille vero tacebat! Perforatis ferreis clavis manibus pedibuſque in crucem agebatur; Ille vero tacebat! Obmutui, inquit per Prophetam, & non aperui os meum! Ita JESUS inter extremos dolores! quomodo tu?

2. *Christus dolores ſuos pertulit cum manſvetudine, & ſine ulla impatientia.* Nunquam fuit homo ullus, qui juſtiores iraſcendi cauſas habuiſſet quam Chriſtus in Cruce! cauſæ erant hæ, *prima:* commune odium: Circumſtabant circa crucem multa hominum millia, quorum corda omnia Chriſto patebant: ſed in omnibus nil, niſi odium ſui, gaudium ob dolores, & mortem vidit, & deſiderium, ut nomen, & memoria ſui eradatur de terra viventium! 2. Riſus & blaſphemiæ ſcribarum, & Phariſæorum, qui agitabant capita ſua, & illi e cruce pendenti inclamabant: Vah! qui templum DEI deſtruis, & in triduo illud reædificas! Alios ſalvos

facit


fecit: se ipsum salvare non potest! si filius DEI es, descende de cruce, & salva te ipsum! An justiór irascendi causa excogitari potest, quam sint hæ blasphemiæ inter crudelissimos dolores in Illum conjectæ? Quid autem Christus? nec propter dolores, nec propter blasphemias ad impatientiam commovetur! patitur, & patitur cum perfectissima resignatione: patitur cum ardentissimo & perfectissimo amore, ita, ut cor illius magis affecerit exitium suorum inimicorum, quam proprii sui dolores! ideo ad mulieres illi compatientes ait: Filiæ Jerusalem! nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros!

3. *Christus suos dolores pertulit non solum constanter, sed etiam cum desiderio plus patiendi!* Christus pendet e cruce: vires omnes sunt exhaustæ: dolores ascenderunt gradum extremum: corpus vix jam violentiæ mortis resistere potest! Sed quale est cor Illius? inspice illud, & admirare Ejus fortitudinem! Duplici amore, duplici desiderio flagrat. Amat Patrem suum Cælestem, & ideo desiderat novas vires plus pro illo patiendi! Amat nos homines & ideo desiderat diutius vivere, ut diutius pro nobis pati possit! Et ille est sensus illorum verborum JESU Christi!

Pater!

Pater! ut quid me dereliquisti! quasi diceret: Pater! quare me non confortas, ut diutius vivere, & plus pati pro Te valeam!

AFFECTUS.

Confusionis sui ipsius. O quæ Confusio, quis timor invadere me deberet, o mi JESU! dum Te e cruce pendentem intueor. Ah quid peccavit venerandum Salvatoris mei caput, ut tot, tamq: acribus spinis undique configeretur? quid peccastis o castissimi oculi, ut sanguine suffusi rubeatis? quid peccastis omnipotentes manus, pedesque, ut tam crudelibus clavis pertunderemini? quid peccasti o amabilissimum cor! ut lancea transfixum altum hiares? Ah! JESUS est innocens, innocens est, quidquid Illius est. Caput est innocens, in quod nulla unquam minus recta cogitatio subivit! Innocentes oculi, quorum obtutus omnes sancti! Innocens lingua, quæ nil unquam nisi ad gloriam sui cœlestis Patris protulit! Innocentes manus, quæ nunquam, nisi ad utilitatem proximi extendebantur! innocens cor, in quo nil, nisi ardentissimus amor habitavit. Cur ergo tot ac tanta tormenta? Me infelicem non ob sua, sed ob mea peccata patitur, quidquid patitur, mea peccata Illum toto corpore tam fœde dilaniarunt, mea peccata Illum cruci affixerunt, & vita privarunt.



Agnitionis & propositi. Et postquam hæc omnia feci, pati nolo, imo, quod malitiam meam auget, nec agnoscere volo, quod pati merear. Ah! nunc agnosco mi Jesu! nulla est pœna, nullus in mundo dolor, nullum in inferno tormentum, quod promeritus non essem. Quidquid hucusque passus sum, parum est ad satisfaciendum pro unico peccato, quo te offendi: quidquid imposterum patiar, parum est ad satisfaciendum pro unica iniuria, quam tibi intuli. Quam injustæ ergo sunt querelæ meæ, & murmurationes, dum semper minus patior, quam meritus sim? An non hæc ipsa causa est justissima, me, meamque voluntatem sine ulla exceptione tibi mi JESU, subjiciendi, & tuas circa me dispositiones medios inter dolores, afflictiones, & cruces laudandi? Æquissimum est, & ita imposterum faciam!

MEDITATIO SECUNDA.

DE CONTUMELIIS & INIURIIS A IESU CHRISTO TOLERATIS.

2\. P. *Nunquam fuit homo ullus, qui tam enormes contumelias, & injurias passus est, & nunquam erit ullus, qui tam enor-*

mes

mes patietur, ac JESUS Christus passus est! Impossibile est omnes Christo illatas injurias unica meditatione concludere: aliquas tantum illarum species hic recole, & sufficient, opinor, ad confundendam tuam superbiam!

1. *Injuriarum species erant falsæ accusationes.* Certum est,animo nobili, & generoso nil accidere posse gravius, quam falsa criminis impactio, de quo nec cogitavit quidem. Confer te nunc anima mea ad Prætorium Annæ, & Caiphæ, & audi, quam execranda de Christo crimina in medium proferantur! Testes adsunt, horrendas blasphemias confirmantes: dicunt Christum esse potatorem, conviviis inhiare, & cum peccatoribus publicis conversari familiariter: Esse Virum superbissimum, qui plane se ipsum DEUM facere non erubesceret! Disseminare doctrinam impiam, reducere Idololatriam in Jsrael! Operari illum mira dæmonis ope, quocum, utpote Magus, familiariter ageret! Esse seductorem, qui populum electum perditum cuperet! Ita coram summis Sacerdotibus, ita coram Pilato, ita in compitis, & plateis urbis frequentissime de Christo loquebantur!

2. *Inju.*

2. *Injuriarum ſpecies erant irriſiones & illuſiones.* Non ſuffecit impiis JESUM tanquam facinoroſum & blaſphemum accuſaſſe: etiam tanquam mente captum proclamarunt. En! ſtant ante Thronum Regis Ethnici, & quia ex infinitæ ſuæ ſapientiæ legibus tacet, tanquam ſtultus irridetur! Quanta mihi, ait Herodes, de homine iſto narrâſtis? ego illum mente captum judico! Hoc dicto, veſte alba induto JESU illuſerunt, & illum inter mille ludibria, & cachinnos petulantis plebis per urbem circumduxerunt! Opprobrium hoc gravius aliud excepit in Palatio Pilati! Corrupti a Judæis Milites JESUM petulanti modo habebant deridiculo. Injiciebant humeris Ejus veſtem, vel potius laciniam purpuream; ſceptri loco in manus dabant arundinem, capiti coronam ſpineam imponebant, alapis illum cædentes, conſpuebant, & genu flectentes coram illo Regem inter ſannas, & ludibria Salutabant! Interim obſtupeſcente tam inauditas injurias Cœlo, & flentibus amare Angelis, innumerabilis populus hoc ſpectaculo exhilaratus plaudit, & effuſo riſu, & clamore injuriam Chriſto exaſperat!

3. *Injuriarum ſpecies erat contumelioſa condemnatio ad mortem.* Pilatus ad liberandum JESUM, de cujus innocentia illi conſtabat,

addu-

adducit extra ſuum Palatium in loco elatiore coram congregato populo duos accuſatos JESUM, & Barrabbam, & interrogabat, quem ex his vita donatum vellent! Non dubitavit Pilatus, omnes JESUM præ Barrabba electuros, ſed ſpe ſua deceptus eſt. Totus enim Populus exclamavit: non hunc, ſed dimitte nobis Barabbam! Quid? Barabbam, hominem ſceleratum, homicidam vobis dimitti vultis? Ita eſt, dimittatur Barabbas; JESUS morti adjudicetur! Quando igitur mori debet JESUS, qua vultis illum morte mori? an non ſatis fiet furori veſtro, ſi gladio pereat? Non: morte turpiſſima pereat, in cruce, duos inter latrones medius pereat, ſciatur, illum eſſe omnium facinoroſiſſimum! Ita vult populus, ita judicat Pilatus! Trahitur ergo innocentiſſimus JESUS ad mortem crucis, exultantibus præ gaudio Sacerdotibus, inter blaſphemias innumeras illum comitantibus Phariſæis, ſubſannante amare populo! Impleta hic ſunt, quæ in perſona Chriſti prædixit Propheta! Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis! Subſiſte modicum anima mea, & reſponde mihi ad ſequentes quæſtiones: 1. An DEUS Pater injuſtam ſententiam tulit, dum Filium ſuum unigenitum tantis contumeliis, & injuriis objecit?

Non.

Non. JESUS peccata noſtra in ſe aſſumpſit: & peccata hæc omnia merebantur. 2. An injuſte tecum ageret DEUS, ſi tantis te contumeliis, & injuriis, quantis Filium ſuum affici ſineret? Non: peccata merentur, hoc vides in JESU, & quod peccaveris, dicit tibi conſcientia. 3. Si credis, quod peccatum tales contumelias, & injurias meretur, & ſi ſcis, te peccaſſe, an non eſt intolerabilis ſuperbia, minimum contemptum perferre nolle? an non eſt intolerabilis ingratitudo, nolle amore JESU exiguam injuriam pati, dum ille amore tui tot, & tantas lubens pertulit?

AFFCTUS

Admirationis humilitatis Chriſti. O JESU quam mira eſt tua humilitas! Tu es infinita ſapientia, Cælum, & terram gubernans, & pro ſtulto haberis! Irrideris tamquam Rex fictitius & conſpueris tamquam omnium hominum viliſſimus! Tu es infinita ſanctitas, a qua omnes gratiæ Cæleſtes profluunt, & judicaris hypocrita, & potator! accuſaris tamquam blaſphemus,& ſeductor; diceris Samaritanus &c. Hæc omnia ſuffers, & quomodo? cum ſilentio, ſine ulla querela, mira cum manſvetudine, cum perfectiſſima ſubjectione, & ſine minima adverſus ordinationes DEI repugnantia! Hoc revera eſt ſacrificium, in quo ſibi

Pater

Pater Cœlestis infinite complacere debet; est sacrificium, quod omnibus totius mundi hominibus humilitatem persuadere potest!

Confusionis sui ipsius. Sed hæc ipsa tua humilitas, o mi JESU, quam abominabilem reddit coram oculis tuis meam superbiam! Ego miser, in cujus intellectu nil nisi tenebræ, & cæcitas, ego prudens haberi & doctus volo, dum JESUS per plateas deridendus raptatur! Ego, cujus cor plenum est peccatis & immunditiis, volo honorari, dum JESUS tanquam seductor, blasphemus, & dæmoniacus proclamatur! Ego, in quo nec unica vera virtus, desidero amari, & aliis præferri, dum JESUM latroni postpositum, & morti turpissimæ adjudicatum video! tanta superbia quam execrabilis esse debet in conspectu Redemptoris mei? O JESU! miserere mei, & cordi meo insere alia sensa!

P. II. *Nunquam homo ullus contumelias, & injurias, sicut JESUS pertulit!* Humilitatem vere miram, qua Christus injurias omnes, & contumelias pertulit, Propheta regius his verbis descripsit: factus est sicut homo non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum! ex paucis his verbis magnitudo & perfectio humilitatis abunde colligitur. Expende tantum obiter hoc silentium, & habebis, quod obstupescas.

1. *Chri-*



1. *Christus erat innocens.* Nunquam aut cogitavit, aut locutus, aut operatus est, quod vituperari juste potuisset! Crimina, de quibus accusabatur, conficta erant ab impiis: Et JESUS, si loqui voluisset, innocentiam suam cœlesti sua facundia sole clarius ostendere, & inimicos suos confundere, & elingves reddere potuisset!

2. *Christus erat omnipotens.* Unico verbo fuisset opus, ut fulmina de cœlo caderent, omnesque illius hostes in abyssum detruderent. Unico verbo fuisset opus, & omnes homines Divinitatem Illius absconditam agnovissent, & Jerusalem Illum tanquam desideratum tamdiu Messiam adorasset!

3. *Christus erat Omniscius.* Sciebat, abusuros silentio suo inimicos, nec quieturos, donec morti crucis adjudicaretur. Sciebat Matrem suam, suosque Apostolos propter hoc silentium multis calamitatibus, & injuriis involvendos. Sciebat, propter hoc silentium patrata a se miracula deridenda, doctrinam suam tanquam erroneam condemnandam, & Ecclesiam suam novam mille persecutionibus impetendam fore! Omnes hæ tam graves causæ permovere Illum non valebant, ut ad sui defensionem vel unicum verbum proferret! Tacuit, & usque ad ultimum vitæ suæ halitum tacuit.

O JESU! JESU admirabilis! quam mirum est hoc tuum silentium! quam sublimis hæc doctrina, quam rarum exemplum! Sed quam pauci sunt, qui illud imitentur! Ubi sunt illi, qui injuriis, & calumniis lacessiti cum JESU obmutescunt! Ad omnia reliqua facilius se resolvunt homines! orant, meditantur, jejunant, se mortificant, &c. Sed tacere ad injurias, amare opprobria, calumnias, hoc est onus, cui portando pauci admodum pares sunt! Interim tamen verum manet, exemplum Christi solum esse viam ad sanctitatem, & sine illius imitatione spem nullam superesse ad perfectionem pertingendi!

AFFECTUS.

Æstimationis & amoris contemptus. O mi JESU! quam mira, & omni humana sapientia altior est hæc tua doctrina! Tu consideras contemptum, injurias, opprobria, tanquam rem bonam, & amore dignam, & licet obtinere tantum honoris potuisses, quantum probri, & contemptus passus es, magis contemni, quam æstimari desiderasti! Eundem & ego imposterum cogitandi modum assumam; æstimabo, quæ tu amasti, & contemptum considerabo tamquam rem, quæ hostem meum maximum, superbiam nempe annihilat; tamquam rem, quæ me ad cor mei JESU

 deducit,


deducit; tamquam rem, quæ pulcherrimam gloriæ meæ partem in Cælo efficiet.

Doloris & propositi. Vah! quæ mea cæcitas? quoties optavi, ut DEUM amare, prout Seraphini queam? quoties optavi, ut DEO meum amorem probare, & perfectum, amænumque illi offerre sacrificium possim? quod autem esse potest sacrificium, DEO magis placens, quam famam, & honorem proprium illi immolare, & patienter perferre contemptum? &c. Quare ergo non feci? quare, toties optimam occasionem, DEO gratissimum sacrificium offerendi, omisi? Erravi ergo, o mi JESU! contristatus sum, ubi lætari debuissem! fugi, quod quærere, murmuravi, ubi tacere oportuisset! Imposterum faciam, quod te fecisse confusionis tuæ, & injuriarum tempore novi: ut cognoscat mundus, quod Patrem diligam. Surgite, eamus: hæc erant effata tua, dum passio appropinquabat: ita & ego mihi dicam occurrente contemptu, &c ut cælum videat, quod JESUM meum amem: Surge anima mea! & perfer cum gaudio contemptum, illusiones, &c:

MEDI-




MEDITATIO TERTIA.

DE MIRABILI AMORE, QUEM JESUS IN CRUCE ERGA SUOS INIMICOS PRÆSETULIT.

1. P. *Amor JESU est miraculum amoris in conſideratione hoſtium, quos diligit.* Conſcende montem Calvariæ, & conſidera, imo ſpecta oculis tuis miraculum amoris, quod hic accidit! En! JESUS pendet e cruce, corpus totum plenum eſt vulneribus, & Sangvine: dolores ſunt immenſi: mors prope eſt: poſt tres horas Chriſtus expirabit. A JESU verte oculos tuos in circumſtantes! En! circumſtant multa millia, juvenes, & Senes, nobiles, & ignobiles, Judæi, & gentiles, Phariſæi & ſcribæ, Seniores populi, & Sacerdotes, infinita propemodum multitudo omnis ſtatus, & ſexus. Præter paucos, qui Chriſto condolent, omnes ſunt illius inimici, & perſecutores! Perpende jam aliquas odii, & crudelitatis circumſtantias, & ex his cognoſces, quam difficile Chriſto accidere debuerit, tales barbaros diligere.

Prima circumstantia est exultatio ſuorum inimicorum! Tu non debes tibi proponere JESUM tanquam purum hominem, ſed tamquam DEUM hominem, qui omnium



præsentium corda intuetur, & cogitationes occultissimas videt! Quid ergo videt in illis? Aliqui lætantur, & ex intimo corde exultant, quod JESUM e cruce pendentem videant! advenit tandem, dicunt intra semetipsos, exoptata diu hora, qua deceptorem hunc meritas luere pænas conspicimus! Alii approbant latam contra illum sententiam, & dicunt: convenire optime tali seductori, & Blasphemo hoc mortis genus inter duos latrones obeundæ! Hi pascunt suos oculos in vulneribus, & doloribus illius, & exultant, quod extrema siti laboranti præter fel & acetum nihil porrigatur! Illi avide expectant illius mortem, & optant, ut nomen Christi toto orbe deleatur! Hæc omnia videt JESUS, videt in cordibus millenis, videt in cordibus illorum, quorum amore descendit de cælo, in quorum bonum tot patravit miracula, pro quorum salute in cruce moritur!

2. *Circumstantia est illusio suorum inimicorum!* Commiserationem habere cum homine misero, cum morte luctanti, vel carnificis manu jamjam trucidando, res est, quæ etiam sceleratissimis non denegatur. Compatimur naturaliter homicidis, & latronibus, dum eos in ferali pegmate conspicimus: in suspiria & lachrymas, compassionis nostræ testes, fre-

frequenter prorumpimus! Longe aliter agitur cum Chriſto! quo majores ſunt illius in cruce dolores & cruciatus, eo petulantius illi illuditur! Vah! dicunt aliqui, qui deſtruis Templum DEI, ſalva temetipſum! Filium DEI ſe fecit, ajunt alii, veniat nunc, & liberet eum! Alios ſalvos fecit, clamant ſacerdotes, ſe ipſum ſalvare non poteſt! Si eſt Rex Iſraelis, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei! Deſcende de cruce, dicunt Milites &c.

Tertia circumstantia, est pertinacia, & obstinatio ſuorum inimicorum. Non accidiſſet Chriſto difficile, diligere ſuos inimicos, dummodo ſuum tetrum facinus, ſuam impietatem agnoviſſent, & deteſtati eſſent! Sed obſtinatio illorum erat nimis magna. Nihilominus ſumma patientia ſuos dolores pertulit JESUS; ignovit inimicis ſuis mira cum manſvetudine; cæleſtem Patrem ſuum pro illis exoravit. Ipſa Elementa teſtabantur innocentiam Chriſti; Cælum quodam quaſi peplo obducitur, Sol obſcuratur, terra tremit &c. Hæc omnia oculis ſuis vident, an tamen propterea ceſſant JESUM perſequi? nequaquam; illudunt, blaſphemant, opprobriis illum ſatiant ad ultimum uſque halitum! Non fuiſſet JESU difficile, amare ſuos inimicos,

dum-

dummodo prævidisset, illos saltem post mortem suam se persequi cessaturos! Verum nec hoc solatium habuit: prævidit, plerosq; miracula post resurrectionem suam futura derisuros, & negaturos: prævidit, persequendos ab illis Apostolos nomen suum annuntiantes; prævidit, perseveraturos in obstinatione, & se in ipso inferno magis blasphematuros per totam æternitatem, quam ipsos diabolos. Tam impios & perditos homines amare, quam est difficile? Amavit tamen, amavit ex corde, amavit efficaciter, & sangvinem suum omnem pro illorum salute fudit! Nunc converte oculos in te, & interroga: qui sunt illi, quos amare sincere tibi accidit difficile? Suntne falsi testes, qui in judicio de pessimis criminibus accusant? Suntne Sanguinolenti latrones, qui te cum Christo in Crucem agere volunt? Suntne jurati hostes, qui de miseriis tuis lætantur, & in ipsis tuis doloribus, & morbis, felle, & aceto, ut Christum, te potant? Nequaquam: plerumque sunt illi, qui non tam affabiles se tibi, ac optas, exhibent, qui verbulo mordaci lædunt, &c. & hos amare potest tibi esse difficile, dum JESUS suos crucifixores amat?

AFFECTUS

Confusionis sui ipsius. O JESU! quantus, quam ma-

magnanimus est amor tuus! quam debilis contra, & exiguus est amor meus! Cor tuum omnes, qualescunque homines complectitur; & amor tuus nullo injuriarum genere extingvitur! Versantur ante oculos tuos homines, qui jam a pluribus annis plusquam diabolico odio te oderant: homines, qui te tamquam malefactorem pessimum execrantur, & blasphemant, qui te toto corpore crudelem in modum dilaniarunt, qui tibi vel in maximis doloribus adhuc illudunt! Hæc omnia vides, audis; nec tamen omnia ad extingvendum erga illos amorem tuum sufficiunt: ex tot inimicorum millibus nec unicus est, quem non amares, pro cujus salute mortem, & sangvinem tuum non offerres! ita fortis & magnanimus est amor tuus! Sed qualis est meus? Ah! nec nomine dignus est, cui extingvendo verbulum mordax, vultus non satis affabilis, minima injuria sufficit!

Doloris. Ergo sum homo, in quo amor non est! quam tristis est hæc cogitatio? Sum homo sine amore! ego, quem JESUS præ tot hominum millibus elegit, ut illum sequar & imiter! ego, qui sponte mea mundo valedixi, ut sponso Crucifixo adhæream! ego, qui in Religione tanto jam tempore in dies singulos exempla Christi etiam crucifixores suos aman-



amantis meditor; ego ſum homo, in quo amor non eſt! Et hoc poſt tot vocationis meæ annos! poſt tot inſpirationes, lumina, media &c. O quot cauſas habeo meam tepiditatem execrandi?

P. II. *Amor JESU eſt miraculum amoris in conſideratione circumſtantiarum, in quibus amat!* Vidiſti hucuſque anima mea, circumſtantias odii illius inauditi, furoris, & crudelitatis, qua impii JESUM perſecuti ſunt; Perpende nunc etiam circumſtantias amoris, quo JESUS illos etiam furentes proſecutus eſt.

1. *Circumſtantia Temporis, quo JESUS pro ſuis inimicis oravit.* Cum pluribus JESUM in cruce loqui oportuit! cum ſuo cœleſti Patre, ut ſuum illi ſpiritum commendet! cum chariſſima ſua Matre, cui dilectum ſuum diſcipulum Joannem, cui curam Matris optimæ demandare voluit: cum circumſtantibus, ad obtinendam in extrema ſiti refocillationem. Quid omnium primum locutus eſt? Dilectiſſima Mater debuit expectare, fidelis diſcipulus debuit cedere: neceſſitatis propriæ quaſi oblitus eſt. Primum verbum, quod JESUS in cruce profert, in bonum ſuorum inimicorum profert: Pater ignoſce illis!

2. *Circumſtantia eſt malitia inimicorum etiam ardentiſſimo JESU Chriſti in illos amore non emollita.*

emollita. Poterat, imo, ut videtur debebat quodammodo JESUS ſuam pro venia inimicorum orationem differre, donec illi ſcelus ſuum agnoſcerent, & Chriſtum deprecarentur! Diſtuliſſet utique, ſi amor illius tuo non fuiſſet ardentior. Sed Cor illus benigniſſimum, amor ardentiſsimus fuit. Ego amo, ait JESUS, & ignoſco, nunc hoc momento, quo blaſphemias illorum audio, dum effectus furoris illorum ſentio! nunc ignoſco illis, nunc pro illis oro, & ſangvinem meum offero.

3. Circumſtantia eſt excuſatio, qua Chriſtus in ſua ad Patrem oratione utitur. Negari non poteſt, quin Judæi Chriſtum crucifigendo flagitium enorme, & in Cœlum clamans commiſerint! tot miracula, quæ ſuis ipſi oculis conſpexerunt, innocentia vitæ, quam ipſe Pilatus, licet Gentilis, agnovit, quin ipſæ accuſationes confictæ, & teſtimonia non cohærentia ſatis clare illorum improbitatem & malitiam manifeſtabant. Hoc tamen non obſtante orabat JESUS! Pater, ignoſce illis: neſciunt enim, quid faciunt; quaſi diceret: mi Pater! ego non dico, quod non peccaverint; ſed malitia eorum non eſt tanta! Elevat multum, & extenuat ſcelus illorum

igno-

ignorantia! Jdeo, mi Pater, oro te, ignoſce illis, prout ego ignoſco, & ama illos, ſicut ego amo. Anima mea! perpende bene exemplum Chriſti, & diſce amare! Quid ergo vidit in ſuis inimicis, quod allicere illum, & movere ad amandum poterat? vidit in illis naturæ infirmitatem, ad omne malum pronam, & ideo miſertus eſt illorum: vidit in illis pretioſam animam, a Patre cæleſti ad Suam imaginem creatam, ad fruitionem gloriæ vocatam; & ideo amavit illos, & noluit, ut tam nobilis Creatura propter ſe privetur æterna felicitate; vidit in illis ſapientiſſimam ſui Patris æterni ordinationem, qui ſibi per manus ſuorum inimicorum calicem pro ſalute mundi bibendum porrigebat; & ideo amavit illos, & omnia ab illis patienter acceptabat! tandem vidit ſe ipſum innumeris peccatis ſponte in ſe ſuſceptis onuſtum, quæ Divina juſtitia per inimicos ſuos in ſe caſtigabat, & ideo amavit illos, & pro illis oravit.

AFFECTUS.

Doloris. O mi JESU! nunc ſcio, cur mihi hucuſque difficile acciderit, amare illos, qui me offenderunt! Nunquam illos, quibus debui, oculis aſpexi! Si illos, qui me offenderunt, ſemper conſideraſſem tan-

quam

quam homines, per quos cælestis Pater paratum mihi a se calicem porrigit, tanquam homines, per quos justitia Divina mea peccata punit, o! quot actus perfectissimi amoris elicuissem! quam simile nunc jam esset cor meum cordi Christi? Sed quale est nunc cor meum? qualis meus amor? Ah! præ verecundia nec loqui, nec te aspicere audeo! sed quid tacere juvat! melius est, fateri proprium dedecus, & humiliter deprecari! Ah! mi JESU! Exempla tui amoris perpendi sæpe, miratus sum, laudavi aliis, sed imitatus sum nunquam!

Propositi, & petitionis gratiæ. Sed quid fiet imposterum? o mi JESU! per tuam gratiam aliter nunc sentio: amabo ex corde offendentes me, perferam illos cum mansvetudine, & silentio, malis bona reddam. Ita amavit JESUS: ita debeo, & volo ego quoque amare! Sed quomodo hoc faciam, si non illuminetur intellectus meus singulari lumine, & cor meum singulariter corroboretur? ad te itaque venio, o amor meus crucifixus, & Magister unicus veræ charitatis; te obtestor per admirabilem illam mansuetudinem, qua tuis inimicis ignovisti; per illam amore plenam orationem, quam dro illis Patri obtulisti; per pretiosum san-

guinem

guinem pro illis effusum! Da mihi amorem, quo omnes homines propter te complectar; amorem, qui omnia sustineat, & bonis mala compenset!

CONCLUSIO TERTIÆ HEBDOMADÆ.

Et præparatio ad viam unitivam.

Hic attingimus punctum, ex quo in vita spirituali omnia dependent. Resolutio facienda est, JESUM perfecte sequendi, & cum illo derelictiones & amaritudines cordis, dolores, & incommoda corporis, contumelias, & injurias ab hominibus patienter ferendi! Qui tantum animi non habet, hac via ambulandi, DEUM nunquam inveniet, & multo minus ad perfectum & purum illius amorem pertinget; qui tamen finis est horum Exercitiorum, & totius vitæ nostræ. Perpende ergo attente sequentes veritates, & resolve te generose, hanc viam cum crucifixo Deo homine ingredi, & in illa perseverare, quamdiu illi placuerit.

1. *Veritas: Via passionis est via Sublimissima, quâ incedere potest anima.* Finis, ob quem unigenitus DEI filius in hunc mundum venit, est duplex: ut 1mo cælesti Patri dignum infinita illius altitudine sacrificium a-

moris

moris, & honoris maximi offerret: & ut 2do exemplum maximæ ſanctitatis homini daret, ad quam tendere deberet. Ad hunc finem tam ſublimem aſſequendum quam viam elegit JESUS? viam paſſionis, & quidem paſſionis, quæ a primo conceptionis momento, uſque ad ultimum vitæ in cruce immolandæ momentum duraret! Ergo fatendum eſt, viam paſſionis eſſe omnium ſublimiſſimam, aut dicendum, Chriſtum ipſum non ambulaſſe ſublimiſſima ſanctitatis via, nec illam hominibus oſtendiſſe.

2. *Veritas: Via paſſionis eſt utiliſſima, qua incedere poteſt anima:* omnes fructus, qui hac via inveniuntur, adducere eſt impoſſibile: quod breviter dici poteſt, accipe ſequentibus: Duo requirit DEUS ab anima humana, antequam illam ad ſui unionem admittit, & dulcedinem ſancti ſui amoris ſentire ſinit; perfectam cordis puritatem, & virtutum poſſeſſionem. Ad utramque obtinendam non eſt aptior ulla, quam via paſſionis: & quidem primo, quod cordis puritatem concernit, res probatione non eget: nam, cum anima in via paſſionis nullam conſolationem inveniat, quam ſolum DEI beneplacitum, ſenſim creaturis ſe abdicare diſcit, & contemnere omne creatum ſolatium, & cor ſuum cum omnibus affectionibus in ſolum ſum-

mum

mum bonum, in quo ſolo vera animæ quies, dirigere. Eodem modo via paſſionis valde utilis eſt ad obtinendam virtutum poſſeſſionem perfectam: nam, cum anima tempore paſſionis virtutes exercere non poteſt, niſi per generoſam ſui victoriam, brevi tempore cordi profunde imprimuntur, & ad perfectionem pertingunt! Et hæ ſunt præcipuæ duæ cauſæ, cur nullus citius ad intimam cum DEO unionem pertingat, quam qui a DEO per viam paſſionis ducitur.

3. *Veritas: Via paſſionis eſt via ſecuriſſima, qua anima incedere poteſt.* Illuſtrationes, & conſolationes multos jam deceperunt; paſſio neminem. Dabantur non raro animæ; quæ ſolatiis, & illuſtrationibus abundantes, cæleſtem vitam agere videbantur; ſed quia nec in humilitate, nec in aliis virtutibus fundatæ erant, evanuerunt in cogitationibus ſuis, & in abyſſum devolutæ ſunt. Tale quid metuendum non habent, qui via paſſionis incedunt, quæ ſemper utilis & ſecura eſt. Hic perfectiſſimæ virtutes, humilitas, manſuetudo, amor, reſignatio in voluntatem divinam excoluntur, & fundamentum ſolidum ponitur, cui maxima ſanctitas & illuſtres gratiæ divinæ tuto inniti poſſunt. Hic eſt vera Chriſti imitatio, & via, quam ille nobis verbo, & exemplo oſtendit, qui

ambula-

ambulavit ipſe, & in qua errare nemo poteſt. Perpenſis bene his veritatibus conſidera etiam, quæ exercitia in via paſſionis neceſſaria ſint.

Exercitium 1. *Per multiplices meditationes certas veritates, & principia alte imprimere debes menti tuæ, quibus te tempore paſſionis excites.* Ejuſmodi principia ſunt: 1. nunquam tantum pati poſſum, quantum meretur DEUS: nam, ſi etiam per 100. annos omnes poſſibiles adverſitates paterer, quid hoc eſſet reſpectu illorum, quæ infinitum bonum meretur? 2. nunquam tantum pati poſſum, quantum Chriſtus mei amore paſſus eſt! 3. nunquam tantum pati poſſum, quantum per peccata mea meritus ſum: nam quæ, quantacunque calamitas comparari poteſt cum inferno, quem promeritus ſum? Hæ veritates tam ſæpe, & tamdiu perpendendæ ſunt, donec in omni occaſione aliquid patiendi ſe vivaciter menti repræſentent.

Exercit. 2. *Parvæ, & quotidianæ adverſitates cum ſilentio perferendæ ſunt, ut per hoc ad tolerandas majores cordatus & aptus ſias.* Si quid tale tibi contingeret, ſis illico ſolicitus 1. ut unum ex prædicitis principiis attenta mente revolvas. 2. Ut totam rem per actum amoris ferventiſſimum, & perfectiſſimæ intentionis DEO offeras. 3. Ut taceas, nec erga ullum vel verbo queruleris. *Exer-*




Exercit. 3. In gravibus, & diuturnis adversitatibus debes te DEO in holocaustum offerre! Ad hoc requiritur 1. ut te mane quotidie voluntati Divinæ, ejusque de te ordinationi sanctissimæ perfecte subjicias, & istum actum sæpius de die renoves. 2. Ut omni hora passionem tuam cum intensissimo amore, & intentione perfectissima DEO offeras. 3. ut neque contra dispositiones DEI, nec contra hominem ullum murmures, vel queruleris. 4. Ut hos inter actus cum patientia & fiducia filiali in DEI bonitate tempus tuæ liberationi destinatum exspectes. En! hæ sunt præclaræ illæ virtutes, quæ perfectam Christi sequelam constituunt, & viam sternunt ad intimam cum DEO unionem! Quæ si tibi placent, procide, in genua, & te JESU crucifixo hoc, vel simili modo immola:

O JESU! amabilissime JESU! quantum miraculum video, dum te e cruce pendentem intueor! Essentiale gaudium, essentialis felicitas tristatur! summa innocentia & sanctitas est ad mortem condemnata! Infinita Majestas pendet e cruce duos inter latrones media! Immensus amor odio habetur! Et hæc omnia pateris pro me! pro me est ille sanguis, quo innocens corpus tuum rubet; pro me sunt illa vulnera, illa tormenta, illæ contumeliæ,

& illu-

& illusiones, quas pertulisti! Hæc credo, & tamen te non amo, o mi JESU! o maledicta tepiditas, & insensibilitas cordis mei unde oriris? Ah! novi causam! meipsum nimis amo: vim mihi inferre nolo: nolo pati! dum ergo hoc modo nimis me amo, nullus pro te mihi superest amor, o crucifixe JESU! Sed quid? an semper talis ero? an nunquam mihi ipsi moriar? an nunquam me resolvam pati aliquid amore mei JESU! O DEUS meus! quam turpis, & execrabilis est talis vita! Sum homo, qui æterno igne cremari meritus est, & parvum incommodum ferre nolo! sum homo, qui meritus est, ut in æterna desperatione in inferno vivat, & parvam cordis desolationem sustinere recuso! Sum homo, qui dignus est ab omnibus creaturis æternum maledici, & tolerare parvum contemptum nolo! sum homo, qui ex merito cum diabolis, & damnatis habitare æternum deberet, & parvam a proximo meo injuriam ferre nolo! Quantum pro me dedecus! quanta hæc erga te ingratitudo, o mi JESU! Ah! nunc agnosco, quæ tua, o mi JESU, est gratia, quam male egerim hucusque! pænitet me tepiditatis meæ tam enormis, & paratus sum, vestigis tuis insistere! Ad Te ergo confugio. - - -

O *DIES*



DIES OCTAVUS

Hodie incipit quarta hebdomada Exercitiorum. Ut finem hujus hebdomadæ aſſequaris, oportet, ordinem, & connexionem, ſeu œconomiam totam Exercitiorum bene penetres. Prima ergo die perpendimus finem noſtrum ultimum, & ſtatuimus illum quærere, quantumcunque conſtet. Quia vero ad obtinendum finem, qui in eo conſiſtit, ut DEUM in hoc mundo perfecte amemus, & in altero æternum poſſideamus, tria requiruntur; ſequentibus diebus de iis egimus: *Primum ergo*, quod ad obtinendum finem noſtrum ultimum requiritur, eſt: deflere peccata, eradicare paſſiones malas, & cor purum, & immaculatum conſervare: Hæc fecimus hebdomada prima. *Secundum*, quod ad obtinendum finem noſtrum ultimum requiritur, eſt, ut Chriſtum ſequamur, & illis virtutibus, quas nos verbo, & exemplo ſuo docuit, cor noſtrum exornemus: Hoc factum eſt hebdomada 2da. Quia vero hæ virtutes exerceri non poſſunt, quin magnas difficultates ſuperemus, & nobis ipſis ex integro moriamur, ideo meditati ſumus paſſionem, & mortem Chriſti, & ſtatuimus etiam in his

illum

illum ſequi: hoc fecimus hebdomada 3tia. Poſtquam omnia hæc fecit anima, & ſibi ipſi totaliter mortua eſt, incipit DEUM perfecte amare, & illi uniri, in quo finis noſter ultimus in hoc mundo conſiſtit: Ideo dies hodiernus, ſeu hebdomada 4ta aget de amore. Ingreſſum ad hunc dabit meditatio de reſurrectione JESU Chriſti, ut nempe intuitu hujus felicitatis omnia terrena contemnamus, omnia adverſa pro nihilo reputemus, noſmetipſos in bonis propoſitis confirmemus, & ita aptos nos reddamus ad unionem cum DEO, amicitiamque perfectam ineundam.

MEDITATIO PRIMA.

De Resurrectione Jesu Christi

I. P. *Quam magna & terribilis erat amaritudo paſſionis Christi, tam magna, & optabilis erat felicitas reſurrectionis.* Quatuor erant genera calamitatum, quas Chriſtus paſſus eſt, maximos dolores in corpore, extremam triſtitiam in anima, intolerabiles calumnias in honore, & amariſſimum odium Suorum inimicorum. Jam conſidera, in quam miram felicitatem omnia hæc mutata ſint!



1. *JESUS resurrexit cum mira corporis pulchritudine.* Ut tibi effingere in animo possis aliquam hujus pulchritudinis ideam, perpende hæc duo: 1. Glorificatum corpus alicujus Electi tantam habet pulchritudinem, ut si in eadem, qua Sol decurrit, orbita compareret, mundum longe clariore lumine, & splendore collustraret, quam lucidissimus hic Planeta; 2. Si pulchritudo omnium Electorum simul sumpta unico corpori a DEO infunderetur, adhuc nihil esset pulchritudo respectu illius, quam habuit hæc corpus Christi! Et hæc o anima mea! illa est facies, quæ ante triduum alapis, & sputis ita erat deformata, ut vix nosceretur: hoc est illud corpus, quod ante triduum tam erat vulneribus obsitum, ut leprosum putari potuisset.

2. *JESUS resurrexit cum immenso gaudio animæ.* Si judicare vis de gaudio benedictæ hujus animæ, debes prius perpendere tristitiam illius præcedentem. Si illa amaritudo, quam anima hæc in monte Oliveti passa est, in tot corda, quot sunt in mundo homines, divideretur, sufficeret ad omnes homines sine exceptione vita privandos! Tanta erat tristitia hujus animæ! Eodem modo, si gaudium, quo nunc fruitur, in tot corda,

quot

quot ſunt in mundo homines, divideretur, ſufficeret ad illos præ multitudine dulcedinis vita privandos! Tantum eſt illius gaudium, imo incomparabiliter majus.

3. *JESUS reſurrexit cum infinita glorificatione honoris!* Quanta mutatio! JESUS nunc eſt gloria Angelorum, qui de cælo deſcendunt ad videndum reſurrectionis triumphum! Eſt gaudium Patrum, qui omnes coram illo proſtrati illum ſuum redemptorem venerantur! Eſt judex vivorum & mortuorum, quem in valle Joſaphat omnes damnati, & Electi flexis genibus adorabant; Eſt corona omnium Electorum, ex quibus nullus erit, qui illum per totam æternitatem non deprædicet! Jlle JESUS, hodiè talis eſt, quem Herodes ante tres dies tanquam fatuum deriſit, quem milites tanquam regem ridiculum conſpuerunt; quem Judæi ante triduum tanquam malefactorem cruci affixerunt.

4. *JESUS reſurrexit cum jucunda fruitione communis amoris.* Silentio hic prætereo illum amorem, quo ab hac die omnes Angelici Spiritus erga illum ardent: nil dicam de amore illo, quo ab hac die Patres antiqui teſtamenti in JESUM feruntur! De cælo ſolo loquor: Jbi per totam æternitatem momentum nullum erit, quo omnes

Electi

Electi JESUM non cogitent, JESUM non laudent, JESUM non tenerrime ament.

AFFECTUS.

1. *Gaudii de gloria Christi.* Transiit nunc tempus passionis tuæ, o mi JESU! dies gloriæ illuxit; sanctissimum corpus tuum splendet clarius stellis cæli, & est decus Paradisi: anima tua gaudiis plena est: cor deliciis innatat: gloria tua exaltata est & nomen tuum a cælo, & terra adoratur! Tu es centrum omnium Electorum, ad quod tendunt avidissime, qui in terris vivunt, & quod incolæ cæli cum gaudio amplectuntur. Tua hæc exaltatio, & felicitas maiorem mihi lætitiam adfert, quam mea propria: gratulor tibi ob illam ex intimo corde: Fruere hac corona tua, & fruere in æternum! Dignum & justum est, ut mercede tam illustri potiatur, qui tam generose pro honore sui Patris æterni mortuus est!

2. *Desiderii.* O! quanta esset mea felicitas, si ego olim tali modo resurgerem! nam quis exprimet quid sit intueri amænissimum, pulcherrimum JESU vultum, audire prodeuntia ex paterno ejus ore verba, illum amare, & amari ab illo! illum amplecti, & mutuo ab illo amplexu stringi! esse semper cum illo, & in æternum non separari! Felix hora!

tu es



tu es ſcopus omnium deſideriorum, & affectuum mei cordis!

P. II. *Piæ reflexiones, & reſolutiones ex meditatione deducendæ.*

1. *Reflexio. Quam certum eſt, JESUM glorioſum reſurrexiſſe a mortuis: tam certum eſt, & nos olim glorioſos reſurrecturos, ſi illum imitemur.* Chriſto in carne paſſo, ait Apoſtolus 2. Cor. 4. & vos eadem cogitatione armamini, ſcientes, quod, qui JESUM reſuſcitavit a mortuis, etiam vos cum JESU ſuſcitabit. Quam plena ſolatii doctrina? ergo his meis oculis, quos nunc habeo, videbo Paradiſum cæleſtem! his meis manibus amplectar JESUM! his meis auribus concentum Angelorum audiam! hoc meo ore cæleſtes olim delicias deguſtabo! his meis pedibus ſuper aſtra ambulabo!

2. *Reflexio. Quam certum eſt, JESUM per paſſionem, & mortem gloriam reſurrectionis Suæ obtinuiſſe: tam certum eſt, medium ad eandem gloriam perveniendi melius non eſſe, quam paſſionem.* Jta rurſus docet Apoſtolus 2. Tim. 2. Fidelis ſermo; nam ſi commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Ah! DEUS bone! quid tunc, quando dies ille beatus illuxerit, de calamitatibus, & adverſitatibus co-

gitabis

 
gitabis? O felices dolores, dices, o optati contemptus, o benedictæ desolationes in quantam gloriam me introduxistis!

3. *Reflexio: quo eris tuo JESU conformior in passione: eo eris eidem conformior in gloria resurrectionis.* Audi iterum Apostolum 2. Cor. 1. Sicut Socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Adverte bené has duas voculas: sicut, sic. Significant enim hoc: quo plus cum Christo patieris in terris, eò majoribus & copiosioribus deliciis affllues in resurrectione; quo majores injurias, & contemptus cum JESU toleraveris nunc, eo major tibi accedet honor, & gloria in resurrectione. Dic nunc, anima mea! quid sunt adversitates, dolores, contemptus, tristitiæ & desolationes? An non sunt amabiles Dei dispositiones? efficacissima ad sanctitatem media? pulcherrima hæreditatis JESU Christi pars? Securissima pignora resurrectionis? semina immortalis gloriæ? Jta sane docet Christus! & tu tristaris, te infelicem dicis, dum illa tibi obtingunt! quanta tua cæcitas! An non deberes potius levatis in cælum manibus & oculis Deo gratias pro iis agere, illum laudare? Dic ulterius, anima mea! qui sunt illi, qui te contemnunt, rident &c &c. An non sunt instrumenta,

quibus

quibus Deus utitur, ad executioni dandas suas circa te dispositiones? An non adjutores sanctitatis tuæ, & conformitatis cum Christo comparandæ, promotores gloriæ tuæ, & fabricatores coronæ, quæ caput tuum in æternum ornabit? Jta sane docet Christus! Et hos homines hucusque pro inimicis tuis habuisti! O quam falsas, & noxias ideas ingeneravit tibi amor proprius! quantum te a via Sanctitatis, & ab imitatione Christi abduxit!

AFFECTUS.

Fidei. Ergo certum est! vivit JESUS! resurrexit a mortuis! intravit in gloriam! & quoad corpus, & animam fruitur immensis deliciis! Credo, mi JESU! quia tu, æterna veritas dixisti! Non est Satis! Etiam ego æternum vivam, si JESUM imitatus fuero, resurgam a mortuis, intrabo in regnum cælorum, & his meis oculis JESUM salvatorem meum videbo! credo, mi JESU! quia tu veritas dixisti! Adhuc plus: illa hora mercedem totius passionis meæ recipiam: pro momentaneo dolore æternam felicitatem: pro unica injuria, vel contumelia æternam gloriam: pro brevi tristitia æternum gaudium, æternas delicias! Credo mi JESU, quia tu &c. O Fides! quam pulchras veritates me doces, & quanto solatio cor meum perfundis! *Do-*



Doloris. Verum ex eodem lumine fidei quanta mihi triſtandi materia! Si verum eſt, DEUM pro ſingulis mortificationibus, incommodis, doloribus ſpecialem dare remunerationem, quot millia harum remunerationum ego propter amorem meum proprium, & impatientiam perdidi! Si verum eſt, retribui a DEO poſt reſurrectionem pro qualibet humiliatione, contemptu, injuria ſpecialem coronam gloriæ, quot coronarum jacturam feci propter ſuperbiam meam, & vanitatem? &c. &c. O quam amaris lachrymis tantam jacturam deflere debeo! Sed reſume animos! tu ſcis, quomodo Chriſtus in gloriam Suam intraverit, & quomodo tu poſt illum intrare poſſis! Sit ergo -- En, mi JESU, coram te proſtratus. ---

MEDITATIO SECUNDA.

De Amore Dei.

Duo ſunt præcipue, quæ cor noſtrum ad amandum DEUM efficaciter movere poſſunt: infinita illius erga nos bonitas, & infinita illius bonitas in ſe. Illam in præſenti, hanc in ſequenti meditatione perpendemus.

P. I. DEUS meretur amari propter infinitam bonitatem, & amorem, quem nobis hu-

hucusque exhibuit. Perpende omnes ejus proprietates.

1. *Bonitas & Amor DEI erga te est æternus.* Quemadmodum DEUS initium nullum habet, sed a, & per se semper, & ab æterno fuit, ita etiam illius erga te bonitas, & amor paternus nullum initium habet, sed est DEO coævus, id est, æternus. Revoca in memoriam omne retro tempus! ante mille, septingentos & plures annos quid eras? Secundum animam nihil, secundum corpus pulvis! Quid egit tunc DEUS? amavit te, & quidem tam intense, ut pro tua salute sanguinem Suum in cruce fuderit! Redi usque ad creationem mundi! quid fuit tunc? nihil: neque cœlum, neque terra: neque Angeli, neque homines: verbo: nihil fuit. Quid egit tunc DEUS? Amavit te, & quidem tam tenere, ut propter te cælum & terram creaverit: terram quidem, tanquam tuam pro præsenti brevi vita habitationem, cœlum vero pro futura! Redi ad centum mille, millies mille, ad milliones annorum ante creationem, verbo: ad æternitatem; quid erat tunc? Nihil nisi DEUS solus, in, & a se infinite felix, infinite gloriosus. Quid egit tunc DEUS? te amavit: non fuit ullum per totam æternitatem momentum, quo de te non cogitasset, te non amasset,


ſet, quo non fuiſſet actualiter reſolutus pro te mori, & te omnium horum bonorum, divitiarum, totius Suæ felicitatis participem facere! Quantum amoris miraculum!

2. *Bonitas, & amor DEI eſt liberalis, & fortis.* Non eſt neceſſe, ut ad has veritates capiendas, omnes gratias a DEO tibi præſtitas recogites: recole ſolum myſterium incarnationis. Imaginare tibi Officialem quemdam Principis, qui ſuo Domino centum mille florenos furto abſtulit: infidelitatis ſuæ convictus, ad æternos carceres damnatus, tenebricoſæ turri incluſus, ſuſpiria inter, & lachrymas vitam exigere debet, niſi ablatas clam pecunias reſtituat. Dum hoc innoteſceret, offert ſe dives quidam Dominus, cujus ſubſtantia maſſam prædictam æquabat, vendit omnia, ſolvit Principem, & ita captivum liberat. Ille ipſe vero, hac ſua miſericordia ad incitas redactus, diſcit opificium, & comedit in ſudore vultus panem ſuum: Quantum eſſet amoris miraculum! An noſti autem, quocum miraculum hoc contigerit? Quis erat miſer ille captivus? Quis miſericors ille ſalvator? Recogita attente, anima mea! - - -

3. *Bonitas & amor DEI erga te eſt patiens & longanimis.* Veni, oſtendam tibi mirum ſpectaculum! En! terra aperitur, petræ,

quibus



quibus carceres æterni circumdati ſunt, ſcinduntur! infernus patet! quid vides? multa millia animarum damnatarum, quæ mediis in flammis ſedent, & torquentur! Sed ecce! Chriſtus deſcendit de cælo, & ex tot millibus damnatarum animarum unicam ex inferno educit, unit cum corpore, reducit ad vitam hunc hominem, & dat illi pœnitentiæ tempus. Quis amoris hujus magnitudinem comprehendet? Homo iſte meritus eſt infernum, ſicut mille alii: imo inferno dignior eſt multis aliis; Omnibus tamen aliis ſine gratia, ſine pœnitentiæ tempore in inferno relictis ſolus iſte educitur, gratiam & pœnitentiæ tempus conſequitur! Quam ſpeciali amore iſtum hominem proſequi dicendus eſt Chriſtus? Videor mihi hiſtoriam narraſſe, quæ tibi contigit; vel an verum non eſt, millenos eſſe in inferno, qui non pluribus peccatis ſe obſtrinxerunt, quam tu? imo qui rarius, quam tu peccarunt? qui non tot gratiis abuſi ſunt, qui non tamdiu tepidi, ac tu? Interim iſti damnati, & in æternum abjecti ſunt; & tu vivis, abundas gratiis, mediis &c. An non dici hic idem poteſt, quod Judæi olim dixerunt, dum JESUM ſuper Lazarum flere viderent! ecce, quomodo, quam tenere amavit eum!

AFFE-

AFFECTUS.

Confessionis & admirationis. Omnia, quæ habes & operaris, mirabilia sunt; sed amore, quo me complecteris, nil mihi mirabilius! Nam quomodo me amas? Amas & amasti me amore æterno: nullum fuit ab æterno momentum, quo me non amasses! Amas me amore forti: nam quo te tuus amor non deduxit? descendisti de cœlo, in stabulo natus, pauper in sudore vultus tui panem tuum manducasti, & tandem in cruce tanquam malefactor mortuus es! Ad hæc omnia tuus te amor erga me adegit! Amas me amore patiente: Tot peccata commisi, tot gratiis, & mediis abusus sum, & hæc omnia tuum in me amorem restinguere, vel minuere non valebant! Adhuc me amas & tam tenere, & paterne, sicut me ab æterno amasti! o DEUS! DEUS immenso amore, & misericordia vere infinita plene! Vere dignus es, ut te ex totis viribus, & infinito, si esset possibile, amore diligam!


Doloris. Quam ingratus itaque fui, quod te ex toto corde non amaverim! O amator fidelissime, Dominus DEUS, & Pater meus, & omnia! agnosco meam ingratitudinem, & detestor: Amavi hominem, qui mihi exiguum beneficium præstitit, a quo præter bona verba

verba accepi nihil! & DEUM, a quo omnia habeo, qui pro me in cruce mortuus eſt, non amavi! Agnoſco meam ingratitudinem, & execror! Aliter nunc cogito, & propono meliora. Viciſti o Divine amor, viciſti! Tuum ſit cor meum, tibi illud totum in æternum dono. Amabo Te impoſterum, Te Solum amabo, & eo quidem ferventius, quo tardius incipio.

P. II. *DEUS meretur amari propter infinitam bonitatem, & amorem, quem nobis præſtare inpoſterum cogitat.* Quid ergo cogitat tibi dare, anima mea? verbo complector omnia, quæ dici poſſunt: DEUS cogitat Se ipſum tibi dare! Ut myſterium hoc omnium ſolatioſiſſimum pro poſſe tuo melius agnoſcas, attente perpende ſequentia.

1. *Poſſidere DEUM, ſignificat, omnium deſideriorum metam aſſequi.* Egreſſæ ex corpore animæ oritur lumen ſupernaturale, ex quo mira claritate cognoſcit, DEUM eſſe maximum, & unicum ſuum bonum, unicam & maximam felicitatem. Ex hoc lumine oritur tam immenſum deſiderium fruendi hoc unico bono, hac maxima felicitate, ut privatio ejus maximam inferni pœnam efficiat. Hoc deſiderium ergo implet DEUS: unit animam intime ſecum, & ita ſe illi communicat, ut

tota



tota abyſſo Divinitatis ſuæ fruatur. Hic mari deliciarum immerſa infinito gaudio, & inexplicabili conſolatione, ac voluptate abundat.

2. *DEUM poſſidere, ſignificat DEUM intueri, & amare.* Nullum erit per totam æternitatem momentum, quo anima nova miracula Divinæ omnipotentiæ, bonitatis, pulchritudinis, & aliarum perfectionum non videret, quæ illam cum infinita ſvavitate totam in DEUM rapient! Nullum erit per totam æternitatem momentum, quo anima novas amoris flammas non ſentiat, quæ illam cum infinito gaudio DEO totam immergent.

3. *DEUM poſſidere, ſignificat infinitam felicitatem poſſidere.* Felicitas, qua perfrueris in cœlo, alia non eſt, quam qua ipſe DEUS fruitur: iiſdem gaudijs, deliciis, ſvavitatibus, felicitate, qua DEUS fruitur; etiam tu frueris. Quanta autem eſt hæc felicitas? Audi miram, ſed innegabilem ſimul veritatem! Unica hujus guttula ſufficeret ad perfundendum damnatos majore gaudio, quam nunc deſperatione cruciantur: unica guttula ſufficeret ad beatiſſimos reddendos omnes electos, ad omnes creaturas in æternum beandas, licet numerus illarum excederet longe arenas maris. Verbo: hæc gaudia tanta ſunt, ut ſufficiant ad ſatiandum ipſum DEUM, infinitæ felicitatis capacem!

4. DE-

4. *DEUM possidere, significat; amari a DEO infinita cum teneritudine.* DEUS animam considerat, ut prolem, quam intime amat, tanquam objectum, cui omnes suæ bonitatis thesauros communicare desiderat, tanquam sponsam, in qua sibi multum complacet. Omnes imagines a terrenis desumptæ hic nimis claudicant! Quemadmodum DEUS est omnipotentia infinita, omnem humanam potentiam infinite excedens, ita est etiam infinitus amor, omnes teneritudines amoris humani infinite transcendens. Ille Solus potest animam, quam amat, in cor suum recipere, & potare illis deliciis, quæ humanus intellectus capere non valet.

5. *DEUM possidere, significat vivere, quamdiu vivit DEUS, & esse felicem, prout DEUS felix est.* Quæ ergo est felicitas Dei? est felicitas sine fine, sine interruptione, sine imminutione. Omnes has proprietates habebit etiam tua felicitas, o anima! Erit felicitas sine fine. Pone tot annos, quod sunt guttæ marium omnium, quot atomi in aere: labentur, & præteribunt omnes isti anni; sed necdum dimidium, imo nihil præterivit de felicitate tua: est enim æterna, sine fine. Erit felicitas sine interruptione; omni momento novam in DEO deteges pulchritudinem. Nam quoniam



infinita est pulchritudo, remanet ſemper infinita abyſſus, quam adhuc non amaſti. Omni momento novum fontem gaudiorum invenies; nam quoniam dulcedo eſt infinita, remanet ſemper, quod nondum güſtaſti. Erit felicitas ſine imminutione. Habebis ſemper ferventiſſimum deſiderium, DEO fruendi, & ſemper maximum gaudium, quod illo fruaris: eris ſemper infinite felix, quod DEUM habeas & nunquam ſatiaberis, quia illum habere ſemper deſideras.

AFFECTUS.

Amoris. O unicum & ſummum bonum, DEUS meus! quam miſere hucuſque cæcutivi! Neque Te, neque amorem tuum agnovi, ut nunc agnoſco! Quid facere aliud poſſum, quam immenſum tuum, & mirum amorem redamando compenſare? Libenter facio! En! o mi DEUS! coram Te humi proſtratus immolo cor meum in holocauſtum, ſicut tuus amor infinitus meretur. Amo Te, & amo ex toto corde, & ex totis viribus. Odi, & execror omnes affectus meos, qui in corde erant hucuſque, & ad Te non tendebant. Te ſolum amo, o ſummum bonum, Te ſolum deſidero amare, quamdiu vivo; & honorem tuum, voluntatem, & beneplacitum tuum volo ſemper omnibus creaturis, & toti mundo præferre!

Deſi-

Desiderii DEUM perfecte amandi. Verum etiamsi omnia hæc faciam, & Te amem, prout statui, quid est ille amor, si comparetur tuo in me amori? revera nihil. O quam optarem itaque, ut omnis ille amor, qui in cordibus omnium Electorum divisus est, in me uno collectus sit! quam optarem, ut omnem amorem, qui in Angelis invenitur, solus possideam, ut te o summum bonum, o fidelissime amator! omnium horum amore complecti possim! Sed frustranea sunt hæc desideria: quemadmodum Tu solus summum bonum es, quod amari infinite meretur, ita etiam Tu solus es ille, qui perfectum in corde meo amorem accendere potes! O DEUS! respice in me, & miserere mei! ostende in me potentiam tuam! nil aliud, nisi tui amorem desidero!

MEDITATIO TERTIA.

DE DEO IN SE INFINITE AMABILI.

P. *DEUS meretur amari, quia est bonum infinitum.* En fundamentum, cui perfectus DEI amor innititur. Debet amari DEUS, & meretur infinite amari, quia est summum bonum. Sed quid sibi volunt istæ duæ voces: summum bonum? significant: DEUM



esse ens omnes perfectiones continens, & quidem in gradu infinito, & quidem a se, & per se. Ut aliquam saltem ideam hujus habeas, perpende unam, alteramve ejus perfectionem in specie.

1. *DEUS est pulchritudo infinita.* Debemus hic solis imaginibus idealibus contenti esse, quæ, quantumcunque incomprehensibiles sunt, tamen nil aliud dici possunt, quam cogitationes, quas infans de motu astrorum concipere potest. 1. *Imago.* Beatissima Virgo MARIA sola videt plus de pulchritudine DEI, quam omnes Sancti, & Electi simul sumpti: & propterea etiam illius gloria, gaudium, & felicitas est major, quam omnium simul Electorum. Jam, hoc momento incipit DEUS illius intellectum sublimare, & finit illam de sua pulchritudine altero tanto plus videre, quam vidit hucusque: sequente momento dat illi novum lumen, ut adhuc plus, quam primo, videat, & ita continuat per 1000, per 10000, per 100000. annos. An videbit tunc B. Virgo totam pulchritudinem DEI? Nequaquam; remanet de ea adhuc tantum, quantum de mari remaneret, exhaustis inde aliquot guttis.

2. *Imago.* Angeli numero multi milliones sunt, & minimus illorum tanta fulget pul-

pulchritudine, ut mortalium nullus illum aſpicere poſſet, quin præ abundantia gaudii moriatur. Ponamus ergo, quod Deus creet Angelum, qui omnes omnium Angelorum pulchritudines in ſe contineat; quid eſt hæc pulchritudo reſpectu pulchritudinis Divinæ? nihil: eſt enim infinite minor. Imaginare tibi ulterius, quod DEUS per 1000 annos omni momento creet millionem Angelorum, quorum unus alterum tantum ſuperat pulchritudine, quantum nunc Seraphinus hominem ſuperat: imaginare tibi, quod poſt hos mille annos omnipotentem ſuam manum extendat, Angelum, omnium horum Angelorum in ſe continentem pulchritudinem creet; quid hæc eſt pulchritudo comparata cum Divina? nihil: eſt enim infinite minor. Has imaginationes continua toto anno, tota æternitate, nunquam tibi tamen pulchritudinem talem effinges, quam illa DEI non infinities excedat!

2. *DEUS est omnipotentia infinita.* Confugiamus hic iterum ad imagines. Imaginemur nobis, hominum, qui hucuſque fuerunt, & uſque ad ſupremum diem judicii erunt, numerum aſcendere ad 200000 milliones. Quantus numerus! Animæ illorum partim in cælo, partim in purgatorio, partim in infer-

inferno existunt: corpora vero illorum in cineres redacta sunt, ita, ut de plerisque nec officulum sit super. Interea appropinquat judicii dies, tuba Archangeli resonat per omnes mundi partes: quid fit? uno momento resurgunt illorum corpora; animæ in illa redeunt, & isti tot hominum milliones reviviscunt! Quid requirebatur ad tantum miraculum patrandum? hæc duo verba: surgite mortui! Imaginare tibi, DEUM descendere de cælo, consistere ad littus maris, & dicere hæc pauca verba: adstent tot homines, quot in hoc littore sunt arenarum granula! quid fiet? momento totidem adstabunt. Fac tibi tales imagines, quot vis, nunquam tamen talem facies, quam Omnipotentia DEI non infinite transcendat?

3. *DEUS est bonitas infinita.* Tres sunt effectus, ex quibus hanc infinitam bonitatis Divinæ magnitudinem aliquomodo cognoscere poteris. Effectus primus est toleratio peccatoris. DEUS intuetur multa centena hominum millia in mundo, qui gravissimis se obstringentes sceleribus sanctissimum Illius nomen blasphemant, & per annos 20. & amplius sine intermissione gravissimis illum injurijs afficiunt. Et quid ad hæc DEUS? tacet, quasi omnium harum injuriarum ignarus

narus: conſervat illis vitam, nova quotidie beneficia elargitur, perinde ac ſi Illi ferventiſſime ſervirent: loquitur illis quotidie ad cor, invitat ad ineundam ſecum amicitiam, ac ſi non illi DEO, ſed DEUS illis opus haberet. Secundus effectus eſt ſuſceptio peccatoris: Imaginare tibi hominem, centum annos ætatis attingentem, qui omni die millies DEUM deliberate blasphemaret, qui tota vita numquam de pænitentia cogitaret: hic miſer jacet nunc in extremis! nil illi temporis, niſi momentum unicum ſupereſt poteſtne talis veniam adhuc conſequi? Audi, & admirare infinitam DEI bonitatem! ſi ſceleratus iſte vel unicum ſuſpirium ad cælos mitteret, DEUS ignoſceret, omnium iniquitatum ejus oblivirceretur, & ſuæ gloriæ participem faceret! Tertius effectus eſt remuneratio juſti. Imaginare tibi juſtum, qui tota ſua vita nullum aliud bonum opus fecit, quam hanc orationem: mi DEUS: amo Te ſuper omnia, quia Tu es ſummum bonum. Quid mercedis largitur illi DEUS? cælum, fruitionem ſui per totam æternitatem! Tam mirabilis, & infinita eſt in remunerando DEI bonitas!


AFFECTUS

Confuſionis ſui ipſius. Jta eſt o mi Deus!

Tu es


Tu es, ut fides me docet, ſummum bonum, bonum omnes perfectiones in gradu infinito continens, bonum, quod infinito amore amari meretur! Unde ergo venit, quod cor meum, quod ſolum ad te amandum, & poſſidendum creatum eſt, non obſtante hac mea cognitione, & fide tam inſenſibile & frigidum ſit? Non oblectat me ſolitudo, & collectio mentis: piget me tecum colloqui, omnia, quæ alias verus amor operari ſolet, deſipiunt! Agnoſco meam miſeriam, o Deus! tamdiu miſer, & infelix ero, quamdiu ignis amoris tui in corde meo non exarſerit! Sed quando hoc erit? quando Deum meum perfecte amare incipiam?

Propoſiti. Ah! quando incipiam? tunc, quando mihi ipſi, & omnibus creaturis moriar: quando tu, o DEUS, mei miſertus hoc ſancto amore me ditaveris. Eja: ego incipiam: en! o mi DEUS, o ſummum, & unicum bonum meum, trado tibi cor meum ex integro, ſine ulla reſervatione: amo te ex toto corde meo, & execror omnes cogitationes, affectus, verba, & opera totius vitæ meæ, quæ ex amore tui facta non ſunt: Tui amor, & beneplacitum tuum erit in futurum objectum omnium mearum cogitationum, ſcopus omnium deſi-



desideriorum, & motivum omnium meorum operum! Sed, o mi Deus! quam sincera, & seria est hæc mea resolutio, tam parum illam exequar, si singulari tuo auxilio & gratia me non confortes. Ah! converte ergo illos tuos misericordes oculos ad me! memento, quod cor meum tantum ideo creaveris, ut te amet: recordare, quod tantum ideo sanguis tuus pro me fluxerit, ut amore tui ardeam! Hujus ergo intuitu operare in me nunc miraculum misericordiæ tuæ: dele, & extingue in corde meo, quæcunque tuo amori adversantur, & igne illud tui amoris accende, ut nunquam amplius ardere desinat, --

P. II. *Deus meretur amari, quia est unicum bonum:* Magni momenti veritas est hæc, quæ, si rite expendatur, sola capax esset, totum cor ad DEUM rapiendi.

Neque in cælo, neque in terris, neque in Angelo, neque in homine, neque in ulla alia creatura est bonum minimum, quod a Deo non veniret. Circumspice totum orbem terrarum, considera omnes creaturas in illo existentes; aspice tam diversas arborum, fructuum, florum, &c animalium, volucrum, piscium species. De terra in cælum ascende, & perpende fulgidissimum illum Planetam

Solem



Solem, qui totum mundum collustrat, pulcherrima illa astra, in firmamento radiantia: illam incomprehensibilem magnitudinem, & pulchritudinem Paradisi cælestis, quem Electi inhabitant! Ab irrationalibus creaturis converte cogitationes tuas ad homines, & perpende diversa dona ex illis elucentia, pulchritudinem, sapientiam affabilitatem, clementiam, aliaque plura tam naturalia, quam supernaturalia: considera Angelos, & alios Electos, & in ijs admirare singulares virtutes, merita sublimia, miram sanctitatem, & incomprehensibilem illorum gloriam, felicitatem &c. Omnibus his perpensis redi in cor tuum, & dic tecum ipso:

1. Ubi erant ante octo millia annorum tot milliones nobilissimarum creaturarum? Jn suo nihilo erant consepulta, &essent adhuc, nisi Deus illas per suam infinitam bonitatem inde extraxisset; ita te docet fides.

2. Quid est omne illud, quod in Creaturis bonum dicimus? nil aliud, nisi Dei misericordia, qua illas Dominus dignatus est. Omnis creaturarum pulchritudo nil est, nisi radius ex hoc immenso sole promicans. Omnis creaturarum sanctitas nil est, nisi guttula, ex hoc immenso mari profluens. Deus solus est bonus: ita docet fides, ita cre-

dimus; ſed quomodo vivimus? ah quam male impendimus nobiliſſimos cordis noſtri affectus? Agnoſciſne, quid ex his veritatibus conſequatur? perpende bene, & nunquam e memoria dimitte: 1. Sequitur, Deum mereri, ut infinite ametur. Hoc docet ratio; nam quod bonum eſt, meretur amari: ſed Deus eſt infinitum bonum, ergo meretur infinite amari 2. Sequitur, quod Deum non ſecundum obligationem amem, ſi non amo, quantum mihi ſecundum meas vires poſſibile eſt! 3. Sequitur, quod contra hanc obligationem agam, ſi ulli affectui locum dem, qui in Deum non tendit: ſi unicum opus peragam, quod illi non placet: ſi unicæ illius de me diſpoſitioni me opponam!

AFFECTUS.

Confuſionis ſui ipſius. O Deus! unicum, & ſummum bonum! nimis bene agnoſco, quid merearis, & qualis eſſe debeat verus amor! Anima tui amore inflammata reſecat omnem adhæſionem, & nullum affectum patitur, qui a te non exit, & iterum ad te redit: nil agit, quam quod novit tibi eſſe acceptum, tolerat omnia, & nulli de ſe diſpoſitioni tuæ ſe opponit: relinquit ſe tibi totam, & in ſinu providentiæ tuæ ſine

cura


cura requiescit. O sancte amor, quam pulcher, & exoptabilis es! quantum de hoc amore habeo, & quot horis vitæ meæ ita amavi? quot opera exercui, & quot adversitates passus sum ex hoc amore? Me miserum! quis mihi satis lachrimarum.---

Amoris & oblationis. Sed quid consternor? assumendus nunc fervor compensare potest omnia! Apage sis Pusillanimitas! quod poterant tot juvenes in flore ætatis, tot teneræ virgines, cur non possem & ego? Hac in Te, o Deus fortitudo mea! fiducia fretus immolo me tibi totum! suscipe meam libertatem, memoriam, intellectum, & voluntatem: omnia a te accepi, omnia tibi restituo! ego nihil aliud desidero, vel peto, nisi tui amorem: hunc solum mihi dona, & dives sum satis.

Petitionis Veni ergo, o Divinissime Spiritus! tu es essentialis charitas, & origo illius Divini ignis, qui in cordibus Sanctorum arsit! Tu es essentialis sanctitas, & fons illarum efficacium gratiarum, quæ corda hominum penetrantes, illa cum omnibus affectibus ad Deum rapiunt. Ah! descende hodie in cor meum, purga illud ab omnibus imperfectionibus, & accende illud amoris tui igne! Sum paratus omnia agere, omnia pati! Tuum amorem solum flagito: pro isto omnia dare, omnia facere paratus sum!

CON



CONSIDERATIONES

CONSIDERATIO I.


DE

Aestimatione Vocationis Religiosæ,

Sicut gratia vocationis ad Religionem eſt ſingulare adjumentum ad finem noſtrum ultimum facilius, certiuſque conſequendum, ita æſtimatio hujus gratiæ eſt juge incitamentum ſecundum vocationem vivendi, & per præſcripta nobis a Religione media ad finem ultimum indeſeſſe tendendi. Quapropter ut magnam S. vocationis tuæ æſtimationem concipias, conſidera ſæpius excellentiam gratiæ, quam tibi DEUS vocando te ad Religionem, & ſpeciatim ad Societatem JESU contulerit.

PUNCTUM I.


Vocatio ad Religionem eſt maximum DEI beneficium, quia per hanc *imo* removentur pleraque impedimenta ſalutis. Quid enim


enim sæculares impedit, quo minus DEO sincere, & fervide serviant, & salutem consequantur? Audi ex proprio illorum ore: *cura terrenorum*, & negotia nimis multa, propter quæ frequentior usus Sacramentorum, orationis, Missæ quoque, & conciones omittuntur. *Pericula peccandi*, in quibus continuo versantur: v. g. conversatio cum altero sexu, spectacula, imagines fædæ, in quas ubique impingunt oculi; laxa principia, quæ a teneris imbibunt; exempla mala, quæ quotidie vident &c. *Defectus instructionis debitæ* circa obligationes tam communes omnibus, quam statui suo proprias &c. unde principia erronea, peccata ignorantiæ crassæ &c. *Defectus, vel abundantia* rerum ad vitam necessariarum; ille enim ad turpia, & illicita; hæc ad mollitiem, & oblivionem DEI deducunt. Denique apud multos *defectus auxilii spiritualis*, seu incuria Dominorum, Parentum &c. de suorum salute non solicitorum, & parum curantium, an cum bonis, vel malis conversentur, an sacro, concioni adsint, Sacramenta frequentent; non monentium, vel increpantium discolos &c. Omnia autem hæc impedimenta removeri per ingressum Religionis, quis est, qui non primo obtutu deprehendat?

2. Per

2. Per vocationem ad Religionem acquiruntur omnia, quæ ad ſalutem plurimum conférunt, & quidem in vita, in morte, & poſt mortem. *In vita* Uſus creberrimus Sacramentorum, abundantia mediorum ſpiritualium. Quot enim in Religione præſcriptæ ſunt meditationes, lectiones piorum librorum, conſcientiæ diſcuſſiones, exhortationes, ſpiritus recollectiones? Auxilium mutuum fratrum per orationes, conſilia, exempla; Vigilantia ſuperiorum monentium, caſtigantium, & ſuos in defectibus, præcipue gravioribus veteraſcere non ſinentium; Occaſio colligendorum meritorum facilis, & frequens per actus obedientiæ, indulgentias &c. Participatio mutua meritorum tantorum, tamque multiplicium &c. *In morte* Cura maxima geritur, quemadmodum ut ægro medicinæ, & auxilia, imo etiam commoda corporalia non deſint; ita, ſi creſcat periculum, SS. Sacramenta tempeſtive adminiſtrentur, pro felici illius obitu ab omnibus oretur, ut ſine ſacerdote non relinquatur &c. *Poſt mortem* perſolvuntur illico pro anima illius a ſingulis non ſolum Domus hujus, ubi moritur, ſed ab omnibus totius Provinciæ Confratribus conſueta ſuffragia; ſingulis annis celebratur Anniverſaria pro omnibus illius quondam Religionis membris &c. Hæc, ali-

aque

aque quamplurima an non evidenter evincunt, gratiam vocationis Religiosæ esse beneficium maximum, & quoddam quasi pignus secuturæ hanc gratiam æternæ beatitudinis, præsertim, cum æterna Veritas universaliter pronunciet: omnis, qui reliquerit domum, vel fratres &c.

PUNCTUM II.

Magnitudo beneficii hujus in homine Societatis nostræ crescit ex eo, quod vocatus sit ad talem Religionem, quæ habet altissimum finem; quæ a DEO singulariter amatur, & media copiosissima habet, hoc Dei amore, quoad hominibus possibile est, se dignissimam reddendi; quæ omnium hucusque sanctitate illustrium Virorum ore summe æstimata, & maximis encomiis celebrata est. Expende paucis singula.

Societas habet altissimum finem, non sanctitatem solum propriam, eamque non qualemcunque, sed quæ, quantum homini licet, in perfectissima Christi imitatione consistit; verum etiam assiduum, & indefessum studium DEO animas, quotquot potest, lucrandi, & ad sanctitatem vitæ perducendi. Quo quid sublimius? Divinorum omnium divinissimum est, ait S. Dionysius, cooperari in salutem animarum.

Societas singulariter a DEO amatur. Eluxit hic amor in ipsa ejus fundatione, dum

com-

comparens S. Jgnatio Pater cœleſtis Societatem Filio ſuo commendaret, & hic ſuam illi opem promitteret his verbis: ego vobis Romæ propitius ero. Eluxit in tam veloci, & univerſali per omnes orbis partes propagatione: Eluxit in mira complurium vocatione, quos voce cæleſti ingredi Societatem juſſit: Elucet ex conformitate, quam cum Chriſto habere vult Societatem; non obſcure enim in illa exprimere dignatus eſt Ejus paſſionem, ut Xti vitam cum hiſtoria Societatis conferenti patet: Elucet ex mirabili exigui ſociorum manipuli conſervatione, dum per totum orbem reliquum aboleretur Societas: Elucet in manifeſta illa aſſiſtentia, qua diſperſi inter tot pericula cum ædificatione vivunt, & qua illis mutuam inter ſe charitatem priſtinam cum ardenti ſocietatis deſiderio; in populo vero priſtinam authoritatem conſervat, licet hoſtes infenſiſſimi plurimis, & turpiſſimis, calumniis famam illorum quotidie proſcindere non ceſſent: Elucet denique e ſpecialibus erga eam favoribus, de quibus Ven. P. Lancicius Tract: de Inſt: Soc: P. Nadaſi in piis morientium occupationibus, aliique uberius agunt, v. g. connexa cum perſeverantia in Societate gratia finali, de eximia mercede, & gloria in


cœlo, de singulari sanctissimæ suæ Matris erga nostros protectione &c.

Societas habet media copiosissima, hoc Dei amore se dignam reddendi. Habet enim præter media omnibus Ordinibus Religiosis communia, biennium Novitiatus, ut in spiritu melius fundari: tertium Probationis annum, ut qua Neo-sacerdotes ad Apostolicos labores solide formari possint: tot spiritus, & Votorum renovationes, rationem conscientiæ, beneficium dimissionis, quo se a discolis, & male contentis purgat &c. &c.


Societas æstimabatur summe, & laudabatur ab omnibus sanctitate illustribus Viris. Præter laudes a summis Pontificibus in Institutum, & Societatem congestas, quorum aliqui illud Digitum Dei, hanc brachium Ecclesiæ dextrum appellabant; S. Philippus Ner. ad Societatem admitti petiit, deque ejus Filiis asseveranter, nec semel dixit, illos, si in ea perseverent, mori sanctos. S. Card. Borromeus, Franc. Salesius, Theresia &c. non solum Societatem summo in pretio habebant, sed sociis etiam animarum suarum Directoribus utebantur; quin S. Theresia maximam suæ perfectionis partem illis in acceptis retulit; illasque libentius in Ordinem suum admisit, quæ spirituali sociorum operâ uti consueverunt.

runt. B. Josaphat M. & Archi-Ep. Poloc: dicere solebat: non esse e Prædestinatis, qui non sunt amici Societatis. S. Aloysius teste A. R. P. N. Mutio Vitellescho ita Societatem æstimavit, ut dixerit: si per unum tantum momentum in Societate esse debuissem, & per inferni poenas oportuisset me ad eam pervenire, elegissem illas, ut in Societate essem. Abstineo a pluribus adducendis, quorum vitæ typis editæ maxima Societatis encomia continent, & passim manibus teruntur.

PUNCTUM III.

Cognita nunc universim magnitudine beneficii, quod Deus præstat illis, quos ad Religionem, & speciatim ad Societatem JESU vocat: applica tibi particulariter, quidquid hactenus considerasti, & reflecte, quod præ tot millenis, quos DEus in sæculo reliquit, salvandos, si vocasset, magnosque sanctos futuros, nunc autem fors perituros; te hac gratia multis indigniorem, sine omni tuo merito, quin præcedentibus copiosis demeritis ex sola misericordia vocaverit: quam suaviter & fortiter ad Societatem JESU deduxerit, hactenus conservaverit &c. ex quibus omnibus sequentia corollaria in tuam utilitatem profluent.

1. Si tantum donum est vocatio; gra-



tum me certe præſtare debeo, gratias Deo agendo quotidie, & quotidie humiliter illius opem, qua precibus, qua oblatis in hunc finem aliquot mei Victorijs implorando pro dono perſeverantiæ; exoſculando cum tenero affectu veſtem religioſam &c.

2. Si vocatio religioſa non ſolum removet impedimenta, ſed omnia etiam abundanter ſuppeditat, quæ me de mea ſalute certum facere poſſunt; conſtanter, & ferventer his medijs uti debeo. Quid enim juvat, media me habere plurima, ſi illis non utor? Eo gravior olim Deo ratio reddenda, quo liberaliorem ſe nobis nunc exhibet.

3. Finis primarius Societatis JESU eſt, ſalus propria; & ſecundarius, ſalus proximorum; ergo debeo nunc ſtatim incipere ſalvare me ipſum, & animam meam in tuto ponere. Quomodo enim ſanctificabo alios, ipſe non ſanctus? Exempla magis, qnam verba movent. Et etiamſi alios ſalvarem, quid mihi prodeſſet, ſi ego ipſe perirem? Prudentis eſt, ſibi ipſi primum conſulere.

4. Si Societas in ea eſt apud omnes exiſtimatione, quam meretur, debeo ſolicite cavere, ne exemplis meis minus rectis, vel moribus non ſatis compoſitis maculam ei inuram. Famam ergo Societatis tam ſanctæ me

ubique

ubique mecum circumferre, aſſidue recogitabo &c. præcipue quia ſcio, famam bonam Viris Apoſtolicis præprimis neceſſariam eſſe.

CONSIDERATIO II.

DE PASSIONE PRÆDOMINANTE SUBJUGANDA.

PUNCTUM I.

Licet peccatum ſummo odio perſequamur, & vitare firmiſſime ſtatuamus, propoſitum tamen hoc noſtrum effectum nunquam conſequetur, quamdiu Paſſionem in nobis prædominantem extirpare non cæperimus. Hæc enim eſt illa a Daniele conſpecta in viſione noctis beſtia terribilis, & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, omne virtutis robur comedens, & reliqua pietatis ſemina pedibus ſuis conculcans. Hæc eſt tortuoſus ille Coluber, qui calcaneo noſtro ſubdole inſidiatur, & quo lenius habetur, eo magis inſoleſcit, & ſævit. Jdeo monet Eccl. ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Quod quidem periculum ruinæ ſpiritualis ab hac beſtia tibi imminens, ut clare perſpicias.

Conſidera 1*mo* Prædominantem paſſionem fuiſſe omni-

omnium ab orbe condito criminum infelicem causam, & scaturiginem. Hæc Cain ad fratris necem? Davidem ad adulterium, & cædem Uriæ; Salomonem ad Idolorum cultum; Herodem ad lanieniam Infantum, Judam ad proditionem Divini sui Magistri, & tandem ad desperationem concitavit. Hæc Jtaliam Vandalis, Mauris Hispaniam, Asiam Turcis diripiendam, & ferro, flammisque depopulandam tradidit. Hæc Familias discordiis, domos perfidiis & spurcitiis, Urbes furtis, & injustitiis, Ecclesias scandalis, & sacrilegiis replevit. Jmperans hominum animis malevolentia, ambitio, invidia, luxuria, avaritia ad tanta illos scelera abripuit, mundumque tam enormiter corrupit.

Considera 2do: nec esse mirum, mundum ita corruptum; tot, tantosque omni tempore Viros turpiter subjugatos esse a Passione prædominante, si arma, quibus communiter adversus illos depugnare solet, spectentur. Arma illius sunt: Astutia versipellis, amabiles blanditiæ, & summa pertinacia. Dixi imo: *Astutia versipellis;* Jnduit enim omnes formas, ut incautos decipiat; & intellectui ut licitum depingit, quod in aliis, ut vetitum damnat; imo & virtutis se larva tegit: nunc zelum se esse, nunc charitatem mentitur:

Profusio-

Profusionem liberalitatis: iram, & vindictæ studium justitiæ: superbiam & ambitum nobilis & generosæ indolis: liberiorem cum altero sexu conversationem urbanitatis pallio obnubit. Exempla si desideras, resume Davidem, & Judam; & deprehendes, quam astutis modis, sub quibus prætextibus Apostolum Xti ad vendendum suum Magistrum; Virum secundum Cor Dei ad cædem innocentis sine magno animi remorsu perduxerit. Dixi 2do *Amabiles blanditiæ.* Cum enim sit hostis non solum domesticus, sed qui nobiscum etiam quasi adolevit; tam scite novit captare tempora, modo nostro cogitandi, nostræ complexioni stimulos suos tam belle accomodare, tam svaviter influere, & figere aculeos melle illitos; verbo: novit animum nostrum ita demulcere, ut sine illo, quod suadet; vitam nobis perquam gravem, & molestam; cum hoc vero fore amænissimam existimemus. Remordeat licet conscientia, & nostri nos periculi admoneat: amabilis hic hostis adeo non timetur, ut amici etiam loco & habeatur, & diligatur. Sed hoc ipsum est, quod ejus mature debellandi necessitatem evidenter probat. Aut enim cito, & totis viribus aggrediendus, aut pereundum est. Augetur enim ex una parte singulis momen-


momentis ejus in nos dominium; ex altera voluntas indies languidior, & gratia debilior redditur. Lege hac ſuper re terribilem luctam, quam S. Auguſtinus cum eodem hoſte ſe habuiſſe Libr. Conf: 8. c. 5. & 11 narrat, Dixi 3tio: *Pertinacia.* Non enim quieſcit una de nobis relata victoria, iterum, iterumque inſurgit, vulnera vulneribus cumulat; imo evadit tandem tam pertinax, ut efficaciſſima illum perdomandi media interdum eludat. Veritatem huius mei Aſſerti in Jona, velut in ſpeculo, expreſſam intueberis. Prophetæ hujus animum inordinatus proprii honoris amor inſederat. Jubetur a Domino ire in Niniven civitatem magnam, & prædicare in ea: ſed timor perdendæ, aut minuendæ ſaltem famæ, niſi prædictioni eventus reſponderit, eum compulit, ut fugeret in Tharſis a facie Domini. Vindicta DEI inobedientem ſequitur: fit tempeſtas magna in mari: cadit ſors ſuper Jonam: mittitur in mare: deglutitur a piſce: poſt tridum evomitur in aridam. Quis hic non judicaret, Jonam ſapere doctum illico properaturum, quo jubebatur? Et tamen debebat fieri ad eum verbum Domini ſecundo, tunc primum ſurrexit, & abiit Niniven. Nec hic ſtitit obſtinati animi malum. Cum enim ejus hortatu permoti Ninivitæ


eſſent

essent conversi a via sua mala; & DEUS eorum misertus urbem non subverteret; iratus est adeo vehementer Jonas, ut mori, quam vivere maluerit; Quin, ut ipsi Domino interroganti: putasne, bene irasceris tu? respondere ausus sit: bene irascor ego usque ad mortem. Quæ causa tantæ iræ, & obstinationis? eadem, ut ipse fatetur, nimia existimationis cura, propter quam metuit, ne ob non secutam urbis ruinam, quam prædixerat, falsus Propheta audiret. En! effrænem Passionis pertinaciam, quæ nec terroribus, nec infortuniis, nec ipsa DEI loquentis voce coerceri ita potuit, quin iteratis assultibus Jonam lacesseret, & prosterneret! En! grandem, si peccata serio vitare velis, eam subjugandi necessitatem!

PUNCTUM II.

Quodsi nosse cupis, quæ sit illa in te dominans passio, suppeditabo breviter modos, quibus illam ab alijs discernere discas. 1mus *Modus est*, diligenti examine perscrutari, cujusnam rei amor, vel odium, desiderium, vel fuga, spes aut timor te communiter pelliciat ad committenda illa peccata, quæ ordinaria confessionum tuarum materia esse solent: an non cupido honoris, commodi, aut voluptatis? an non honor subeundi laboris, molestiæ, contemptus &c. & facili ne-

gotio




gotio deprehendes, nimiam plerumque curam existimationis propriæ, vel minus ordinatum cuticulæ, ac commoditatum vitæ scaturiginem esse, ex qua quotidiana nostra peccata profluunt. Ex prima enim, nempe ex superbia promanat jactantia, & ostentatio, alienæ famæ invidentia, obtrectatio, ambitus, odia, rixæ &c. ex secunda,, nempe Philautia, oritur acedia, gula, libido, mendacia, murmura, defectus graviores contra paupertatem, ac votorum transgressiones &c.

2. *Modus*. Attende, quanam de re frequentius cogites, quænam res potissimum anxium te, tristem, aut lætum, & cupidum &c. reddat. Sic v. g. qui sensuum, & corporis oblectamenta plerumque cogitat: vel quem timor invaletudinis, aut molesti muneris vehementius angit, qui aliorum defectibus facile turbatur, signum est, dominari illi, amorem proprium omnia incommoda aversantem, suisque commoditatibus nimis avide inhiantem. Contra si quis nonnisi honores, & applausus somniet; si quem successus disputationis, concionis, alteriusve negotii nimis solicitum habet; si quis officia, & loca minus honorifica fugit, huic ambitionem dominari, palam est.

3. *Modus*.

3. Modus. Adverte animum ad tacita quædam, quibus ſe prodere ſolet indicia: ſic v. g. Paſſio prædominans ſolet ſe in omnes, ſaltem præcipuas actiones ingerere, eaſque ſi non imperare, ſaltem promovere, omnes eventus in commodum ſuum vertere &c. ſolet in conflictu cum aliis animæ appetentiis ſemper quaſi ſupernatare, ita, ut illi ſoli omnes quaſi famulari, & ſervire: imo illa loquente omnes tacere debeant: Solet hominem ita faſſcinare, ut illam mire præ aliis foveamus, excuſemus, & potius cujusvis alterius, quam hujus reos nos argui patiamur. In ſuperbia (& quod hic de ſuperbia dicitur, de omni alia prædominante paſſione intelligendum eſt) omnium nunc dictorum experimentum cape. Superbus in omnibus ſibi ſatisfacit, & complacet: cuivis colloquio aliquid ad ſui laudem immiſcet, ipſos errores dextre in ſuam commendationem detorquere novit, in ipſa ſui abjectione gloriatur &c. Superbus ut gloriæ cupiditati ſatisfaciat, nec pecuniis, nec ſanitati, nec amicis parcit: hac loquente auri fames, commodorum cura, blanditiæ carnis & ſangvinis negliguntur, & vileſcunt &c. ſuperbus potius omnia alia volet eſſe, quam id, quod eſt: ſi ebrioſum, avarum, invidum illum dicas, lenius feret: at ſi arrogantem

voces,



voces, ulceri unques immittis, &c. Examina te fecundum hos modos & quæ fit in te paffio prædominans, deprehendes.

PUNCTUM III.

Media porro, illam fubjugandi funt 1. Ipfis appetituum initiis mox obfiftere, eofque, quamprimum caput in altum extollunt, ferio reprimere. Chryfoftomi eft hoc monitum dicentis: quando parvam animi perturbationem fufceperis, ne eam neglexeris, quod parva fit; fed confidera, quanta mala parere poffit, nifi mox fupprimatur. S. Dorotheus ait: qui in principio vim fibi fecerit, atque pugnando perftiterit, multum fane proficiet, & deinceps pace bona, & quiete perfruetur. 2. Providere vigili oculo occafiones, quibus appetitus ifti effervefcere folent, ac contra eorum infultus nos prævie obarmare. Ita fuadet S. Ambrofius: cavere debemus, ait, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos noftros ratio componat. Exanimat enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido; quia improvifo percellunt ictu. Ideo prævenire pulchrum eft cogitatione, ne mens imparata repentinis infeftetur commotionibus. 3. Inveftigare caufas vitii, & illas e medio tollere. Abbas Serapion apud Caffianum hac fimilitudine utitur: facilius cujusli-

bet

bet arboris noxia latitudo, ac proceritas exarescit, si antea radices ejus, quibus innititur, vel nudatæ fuerint, vel succisæ &c. Sic v. g. quia superbia ex nimia sui æstimatione oritur, valde proderit, hanc frequente, & vivaci sui nihili, suæ infirmitatis, suorum peccatorum consideratione retundere. 4. Examen particulare super hac passione ex præscripto S. P. N. Ignatii diligenter, & accurate instituere &c.

CONSIDERATIO III.

De Causis ruinæ Spiritualis Religiosorum.

PUNCTUM I.

Nec Religiosi, licet paucioribus obnoxii periculis, & pluribus salutis mediis instructi sint, securos se unquam putent, aut immunes a lapsu, nisi sibi invigilent jugiter, caute ambulent, & vim sibi incessanter inferant, O! quot, qui stabant, aut stare videbantur, miserrime corruerunt? quot, qui nutriebantur in croceis, tandem amplexati sunt stercora? Horum exemplis ut sapere discas, perpende nunc causas tam miserabilium ruinarum, & perspectas devita.

Prima




Prima igitur ruinæ Religioſorum cauſa eſt, quam adumbravit Xtus in ædificata domo ſuper arenam ſine fundamento, cujus ruina facta eſt magna, poſtquam deſcendit pluvia, venerunt flumina, & flaverunt venti. Matth. 7. Luc. 6. Cauſa, inquam, ruinæ eſt, non jactum in Novitiatu Religioſitatis fundamentum; non radicatus horror peccati, præſertim mortalis; non abſtractus a ſæcularibus deſideriis animus; non impreſſæ cordi veritates æternæ; non ſtabilita rerum ſpiritualium æſtimatio; non deducta in uſum interna, externaque mortificatio; ſub exteriore ſolum modeſtiola, tanquam ſub doloſis cineribus, conſervati igniculi mundani, & propter metum, perpetuamque tot ſuperiorum vigilantiam finitum utcunque Tyrocinium; ex quo vix pedem miſer Religioſus extulit; ecce idem, qui fuit ante Religionis ingreſſum, comparet, & interdum pejor; hinc ſenſim deterioratur, ſæculareſcit, ineptus Religioni redditur, ac corruit. Religioſe! ſi coram DEO judicas, te ſolidum hucuſque fundamentum non poſuiſſe, nunc manum operi admove: altum tempus eſt: optime noſti, quid a te requirat DEUS, conſcientia, Religio, Inſtitutum, tot gratiæ, & inſtinctus DEI.

Altera

Altera ruinæ Religioſorum cauſa eſt, quam Chriſtus objecit Angelo, ſeu Epiſcopo Epheſinæ Eccleſiæ dicens: Habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti! Apoc 2. Cauſa ergo eſt, receſſus a primo Novitiatus fervore, ſeu intepeſcentia, orta præcipue ex infructuoſo Orationis, ac meditationis uſu, dum ad eam præparatio aut male ſit, aut negligitur, dum non ſuo tempore peragitur, decurtatur, tandem plane omittitur. Sic, dum in Meditatione non exardeſcit ignis, noxie tepeſcit animus, tædium, faſtidiumque rerum ſpiritualium introducitur, vita ipſa religioſa deſipit, ad ultimum teporis gradum devenitur, & ruina ſubſequitur. Tepidorum enim tam pœna, quam medicina non eſt, niſi gravis ruina. Cave tibi ergo, o Religioſe, ab hac cauſa ruinæ, & ita obfirma animum, prout obfirmaverat Princeps Theologorum noſtrum P. Franc. Suarez, qui dicere ſolebat: ſe malle totam ſcientiam ſuam, tot annis quæſitam perdere, quam horam unam orandi conſuetam in Societate intermittere.

PUNCTUM II.

Tertia ruinæ Religioſorum cauſa eſt effuſio ad externa, & captatio ultronea diſtractionum, converſationum ſolius tædii


vitandi causa, ingerendo se in negotia non necessaria sponte, & non ex obedientia. Per talem ad exteriora effusionem dissipatur spiritus, interna negliguntur, in via DEI non proficitur, sed deficitur, atque in ruinam itur. In quæ mala ne devolvaris, Religiose, attende tibi, & Religiositati. Est, quod agas circa animam tuam; æternitatis negotium, heu quantum, & quale! habes; age, quod est muneris, officiique tui; cetera DEUS a te non requirit. Si cogeris ad exteriores occupationes, commoda te illis, non dona, idque ex parte solum, & non totum; tecum autem intus habita, cubiculum ama, & amabit te amator solitudinis JESUS.

Quarta ruinæ Religiosorum causa est similis illi, ob quam corruit Lucifer, nimirum appetitus excellentiæ propriæ, defectusque humilitatis, ex quo oritur æstimatio sui ipsius, fuga omnis contemptus, jactatio nobilitatis, doctrinæ, aliorumque talentorum, desiderium & procuratio eminentiæ, prælationisque supra alios, officiorum honoratiorum, mansionis commodioris; indignatio, dum alii præferuntur, officiis speciosis applicantur, vel ad res magnas gerendas, ad altiora docenda &c. Ex indignatione oritur amaritudo animi, & vita insipida in Religione, & tandem ejusdem desertio.

ſertio. Ob talem excellentiæ propriæ appetitum corruit olim in Provincia Polona circa 1630. quidam; qui dum coram Generali Exercituum Duce Conieckpolſki concionatus eſſet, hanc ab eo laudem tulit: *Egregius eſſet Prælatus, ſi Religioni obligatus non eſſet.* Pupugit hoc encomium ita hominem vaniculum, ut extorta vario prætextu a Societate dimiſſione recta Barum ad illum diſceſſerit, a quo tamen nec admiſſus eſt. Sic miſere deceptus, & ab Epiſcopo Camenecensi exiguo interim beneficio proviſus, dum opera P. Rectoris Camenecenſis admiſſionem ad Societatem iterum impetrare conatur, reſque hæc tantiſper protrahitur, in deſperationem incidit, & inflictis pectori decem vulneribus animam efflat, extra locum ſacrum ſepultus, qui terram ſanctam, Societatem, Prælaturæ cauſa deſeruerat!

PUNCTUM III.

Quinta ruinæ Religioſorum cauſa eſt, quam exprimit DEUS Oſeæ 7. Comederunt alieni robur ejus, & ipſe neſcivit; nimis libera, & incauta converſatio cum ſæcularibus. De fide enim eſt, cum ſancto ſanctos nos fieri, cum perverſo perverti: ergo & cum ſæculari incaute converſantem ſæcularem fieri, certum eſt. Et quidem interdum ad



hanc converſationem deveniunt Religioſi ex tædio ſolitudinis, & ſilentii, interdum autem ex occaſione Miſſionum, Confeſſionum &c. Sed paulatim contrahitur familiaritas, liberior agendi modus &c. & tandem ruina. Quid tibi, Religioſe, cum ſæculo, quod ultro reliquiſti? quid cum ejus ſectatoribus, qui ſocius factus es Angelorum?

Sexta ruinæ Religioſorum, præſertim in Societate noſtra cauſa eſt, ut alia omittam, fortis perſuaſio; qua putat Religioſus, ſe poſſe ſalvari, etiam extra Religionem in ſæculo, & quidem ibi ſe utiliorem fore Eccleſiæ DEI, aut ad minimum æque, ac in Religione utilem. Hæc eſt deceptio diaboli periculoſa. Verum enim eſt, te poſſe ſalvari in ſæculo; ſed non ſalvaberis propter præciſum prædeſtinationis filum. Quis es tu, ut DEUS ſe tibi accomodet circa vitæ ſtatum, & non tu DEO? putas, te fore utilem Eccleſiæ DEI; & tu radicem omnis boni, voluntatem DEI deſeris! Putaſne, luſiſſe tecum DEUM, dum te ad Religionem vocavit? putas quoque, tibi colluſurum DEUM, & ad inconſtantiam tuam mutaturum ſeriem prædeſtinationis ſuæ circa te? Nulli bene cecidit alea hæc: ſta igitur in gradu tuo, & non corrues.

CON-



CONSIDERATIO IV.

De cura minimorum

PUNCTUM I.

Cura minimorum est studium diligens, ac providum rerum minimarum sive declinandarum, cum perfectioni nocent: sive complectendarum, cum prosunt. Cum enim perfectio vitæ cujusque in declinatione mali, & complexione boni consistat, altera sine altera non sufficit; sed alteram alteri jungat, necesse est, quicunque ad perfectionem tendere tenetur. De qua quidem necessitate ut clarius se quisque convincere queat, statui & curam declinandarum, & complectendarum rerum minimarum singulis punctis comprehendere, & pro illa quidem in 2do hujus considerationis puncto; pro hac vero in 3tio motiva ponderosissima adferre. Atque hoc ut majore cum fructu fiat, diluendæ prius sunt objectiones quædam, quæ a tepidis Religiosis adduci, & tanquam scutum, omnibus laxitatem sibi exprobrantibus opponi solent. *Istæ sunt minutiæ: parum pro nihilo computatur.* Sit sua sane huic propositioni veritas in rebus terrenis, & politicis; quanquam nec sit in iis semper:

In rebus tamen ſupernaturalibus, ad DEUM, & ſalutem ſpectantibus res longe aliter ſe habet. Audi effatum S. Baſilii: nil eſt minutum, quod Dei cauſa fit, ſed grande, & ejuſmodi, quod cælum nobis, & præmia cæleſtia conciliat. Eodem modo de cura minimarum rerum declinandarum diſcurri oportet, nil ſcilicet eſſe minutum, quod DEO diſplicet, & a cælo vel ad momentum nos remoratur. *Hæc ſunt tantum pro Novitijs.* Pro Novitijs, & quare? an ut accurationi aſſueſcant? Ergo poſt Novitiatum accuratione amplius non eſt opus? An ut vitam religioſam, fervidam, mortificatam vivere diſcant? Sed ad quid aſſueſcere tali vitæ deberent, ſi poſt Tyrocinium vivere remiſſius licet? Imo, poſtquam Deo te per vota religioſa totum conſecraſti, teneris utique ad majorem, quam antea, obſervantiam. Plus a Veterano, quam Novitio milite tam mundus, quam DEUS jure expectat, & exigit. *Sed iſta non ſunt eſſentialia.* Verum eſt; ſed ſine accuratione in minimis etiam eſſentialia non diu obſervabuntur. Sed dato etiam, quod obſervarentur; an tu cum ſervo contentus eſſes, qui nonniſi magna, & eſſentialia mandata executus, cetera omnia libere negligeret? an reſtringere ſe ſolum ad ea, ad quæ quis ſub pec-

peccato, & fors gravi vel facienda, vel fugienda tenetur, eſt animi boni, & liberalis indicium? *Continua minimorum obſervatio eſſet onus intolerabile.* Hanc obſervationem aliquid oneris habere, nemo negabit, præcipue cum Chriſtus ipſe legem ſuam Evangelicam jugum, & onus appellet. Sed onus intolerabile dici non poteſt, niſi forſan ab illis qui crucem quidem vident, ſed unctionem internam non ſentiunt. Certe Majores noſtri portabant hoc onus & libenter, & alacriter, imo ſi qua ſcriptoribus vitæ illorum fides, obſervatum eſt fere ſemper, eos, qui majore ſtudio & contentione curæ minimorum invigilabant, uberioribus etiam ſpiritualibus conſolationibus abundaſſe. Ceterum; etſi hæ deeſſent; & ſi graviſſima nobis accideret rerum in Religioſo ſtatu minimarum cura, meminiſſe debemus, illum eſſe pœnitentiæ locum, ut optime demonſtrat Hieronymus Platus noſter; in quo delicta ſæculi puniuntur: vocarique a SS. Patribus ſervitutem, militiam, bellum, martyrium &c quæ nomina ſunt non ſolum oneroſarum, & laborioſarum rerum, ſed etiam, quæ carnem, ſenſuſque cruciant, & affligant.

PUNCTUM II.

Diſſolutis objectionibus contra curam minimarum rerum fieri ſolitis, perpende neceſ-

necessitatem hujus curæ in minimis malis declinandis ex motivis sequentibus: 1. quia omnes etiam minimi defectus, & peccata Religiosi ex mente Theologorum, & S. Thomæ graviora sunt, & DEO magis displicent, quam peccata hominis sæcularis ejusdem speciei propter vota, contra quæ peccat; propter ingratitudinem, qua tot gratiis, & beneficiis singularibus præventus peccat; propter scandalum, quia plures ad ejus vitam respiciunt. 2. Privant nos multis spiritualibus bonis; imminunt charitatem Dei in nos, & impediunt liberaliorem illius in animam nostram influxum; opera nostra bona ceteroqui vitiant, & minus grata Deo faciunt, auferunt gustum, &, ut ait S. Gregorius Papa saturitatem internam in susceptione SS. Eucharistiæ; reddunt nos indignos speciali custodia Angelorum, ut docet Card. Cajetanus; spoliant nos ex mente S. Bonaventuræ gratia sensibili consolationis internæ. Nec dubium est, quin sæpissime desolationes spiritus, ariditates in oratione, tædium vitæ spiritualis pœnæ sint inflictæ, mala minima non metuentibus, & confessione, vel dolore vero non eluentibus. 3. Impediunt specialia auxilia divina. Ita docet Richardus a S. Victore: *Parvæ negligentiæ, inquit, obscurant animam, & impedimentum*

faciunt

faciunt amplioris gratiæ, illius nempe copiosioris, & efficacis auxilii, ſine quo non ſolum in via virtutum non multum progredieris, ſed potius graviore tentatione facile victus in vitia prolaberis. Tanto enim dono, quod ex mera liberalitate, & plane gratis tribuitur, fit indignus Religioſus negligens, quia per incuriam, & contemptum minimorum male de DEO meretur. Ideo monet S. Baſilius Monachos: *qui a Deo optat ſe juvari, is nunquam deſerit, quod ſe addecet, officium ſuum. Qui autem hoc facit, is divino auxilio nunquam deſtituitur.* Quapropter danda in eo opera eſt, ne ulla in re conſcientia noſtra nos condemnet.

4. Sternunt viam, & diſponunt ad graviores lapſus, & mortem animæ, ſicut febres non quidem graves, ſed frequentes ad mortem corporis. Oraculum eſt S. Spiritus: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* SS. PP. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Iſidorus, Damaſcenus, Gregorius Magnus, quos S. Thomas citat, uno ore aſſeverant, contemptum minimorum peccatorum eſſe diſpoſitionem fere certam ad mortalia. Verba S. Aug: ſunt, *dum homines deſpiciunt peccata ſua, quæ parva ſunt, creſcentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina.* S. Chrys: *qui puſilla diſſimulant, majora invitant.* S. Iſid: *contemptu minorum peccatorum,*



rum, majora committuntur S. Damasc. *Qui minima vitia & peccata nihili pendunt, graviora sibi invehunt.* S. Greg: M. *In unoque lapsu a minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad graviora devenitur.* Nam nemo repente fit pessimus. Quisquis damnatus est, primo per leviora tanquam per gradus ad graviora, & inde ad tartara descendit. Verbo: damnatio æterna sæpe ex unico minore peccato tristi serie dependet; non, quasi istud infernum mereretur; sed quia deducit ad infernum. Exemplo sit S. Theresia, quæ per revelationem sibi factam didicit, se æternis addicendam fuisse inferorum suppliciis, nisi quasdam otiosas, & lætas conversationes cum aliis vitasset.

PUNCTUM III.

Motiva pro diligenti cura minimorum complectendorum. 1. Præmium in cælo, quod rebus etiam exiguis amore Dei factis promittitur: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis &c. 2. Jn Exercitio minimorum minus est periculi vanæ gloriæ, & amoris proprii, adeoque meritum incorruptius, & præmium certius. 3. Licet modica in se sint singula, evadit tamen sensim magnus meritorum cumulus eodem modo, ut collecta diu, & reposita

parva

parva dona thesaurum non contemnendum efficiunt. 4. Per exercitium diligens minimorum apti reddimur ad facienda etiam majora. Roborantur enim vires animæ per hoc continuum exercitium, sicut per motum continuum roborantur vires corporis, contrahitur bonus habitus, crescit fiducia, & animus etiam majora audendi, a Deo copiosiores gratiæ obtinentur &c. Huc collimare videtur effatum illud S. Theresiæ: res minimæ tanti momenti sunt ad inchoandum in virtutibus profectum, ut anima & pennis, & alis carens volare incipiat, & nemo id credat, nisi qui in se expertus est. 5. Tandem si, cum magna seu defectu occasionis, seu difficultatum metu non faciamus, etiam negligamus minima, quid, quæso, nobis pro Regno cælorum, quod adultis solum ut merces datur, remanebit?

Coronidis loco inquire partim in materias, circa quas præcipue tua in minimis seu vitandis, seu faciendis attentio, & cura versari debeat: v, g. circa Vota, res spirituales, charitatem fraternam, officia tibi assignata, ordinem diurnum, abnegationem propriæ voluntatis mortificationem sensuum &c. partim in modos, quibus minimas actiones magis meritorias reddere possis v. g. si ex puro

Dei



Dei amore, ex obedientia, cum actuali intentione, magna accuratione, & ſpiritus hilaritate, cum deſiderio exaggerate Deo guſtum faciendi, ad exemplum Xti in terris converſantis omnia facias, quem proinde jugiter ob oculos tibi ponere, illius meritis tua conjungere oportebit.

CONSIDERATIO V.

De fuga Otii.

PUNCTUM I.

Otium eſt vitium gravius, periculoſius & magis univerſale, quam primo forſitan intuitu videatur. Plerique enim putant, ſe tunc tantum otiari, cum ab omni labore ita vacant, ut nihil omnino agant. Sed gravis eſt iſte error, & Religioſis præſertim mentibus, ſi quibus inſideret, neceſſario eximendus. Non enim ſolum agere nihil, ſed etiam alia ab iis agere, quæ nobis facienda ſunt, etiam inutilia agere, vel agere male, quod agimus, talia ſunt, quibus otii nomen jure tribui poteſt! Imo: datur & aliud otii genus, quod mentale non incongrue dicimus, quando quis mentem operibus, quæ exequitur, aut omnino non, aut

tam

tam parum applicat, ut ad alia potius omnia eam evagari pro libitu ſinat. Atque hæc quidem ſi vera ſunt, uti certe ſunt, quis non videt, quam longe, & late hoc vitium extendatur? Seneca, utut Ethnicus, veritatem tamen hanc ipſo rationis lumine bene penetrans, ſimulque communem vivendi modum hominum attente perluſtrans aſſerere non dubitat, totam fere hominum vitam otioſam eſſe, cum magna, ut ait, vitæ pars elabatur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Et ſane non injuriâ; Sive enim ſpectemus finem creationis noſtræ primarium, ſive finem temporis nobis a Deo benigne conceſſi; qui aliud agunt, vel inutilia, & male agunt, agere omnino nihil; & coram oculis Dei, & hominum prudentum vere otiari dicendi ſunt, licet innumeris quotidie negotiis videantur impliciti; quia vel ad ſcopum ſibi præfixum non tendunt, vel plane ab illo aberrant. An porro inveniri paucos putas, quorum vita talis eſt, qualem Seneca otioſam appellat? Ego vero plurimos, utinam non etiam Religioſos! Quot enim vel inter ipſos Religioſos dantur, qui magna diei parte ſe negotiolis ſuæ vocationi non conformibus, vel inutilibus occupant? qui neglectis, vel

depro-


deproperatis functionibus suis spiritualibus alia omnia frequentius, & libentius agunt, quam quæ ex officio agere deberent? qui horas quotidie complures captandis rumoribus, inanibus colloquiis, somno non necessario, & sæcularium visitationibus impendunt? Et an non hi spectato creationis suæ fine, imo spectato fine ipsius temporis nobis concessi vere otiari censendi sunt, dum illud non pro servitio Dei, non pro salute sua, vel proximi, non pro agenda pœnitentia, & colligendis meritis, ut deberent, sed inutiliter impendunt? An non etiam tu ex horum, es numero? Percurre ordinem tuum diurnum, & indaga, an non etiam te frequenter particula hujus boni doni prætereat; præcipue quomodo subcisiva illa tempuscula, quæ inter unam & alteram actionem intercedunt, ante, & post exitum &c. impendas, & serio propone, non defraudari imposterum a die bono.

PUNCTUM II.


Gravitatem hujus vitii metire ex gravitate jacturæ, quam per otium pateris. S. Bernardus otiosum non immerito insipientem appellat, eo quid sibi ipsi maximum damnum inferat. Volat tempus irremeabile; inquit! nec advertit insipiens, quid amittat. Hæc

verba,

verba, licet grandem otiosi hominis jacturam, clare non assignent, lumen tamen nobis accendunt, ad illam facile pervestigandam. Perdit enim 1mo tempus, quod ab arbitrio nostro nullatenus dependet, eoquod tempora & momenta Pater cælestis in sua solius potestate posuit; donum DEI mere gratuitum, donum pretiosissimum, & inæstimabile, quod juxta effatum S. Bernardini tantum valet, quantum DEUS: perdit tempus alioqui breve, & nec revocabile unquam, nec compensabile; quod, si non illico apprehendas, dum adest, amplius, licet velis, uti illo non poteris. Velocius enim omni sagitta, omni cogitatione prætervolat, nec ullum sui vestigium relinquit. Ubi, quæso, nunc sunt anni pueritiæ, juventutis tuæ, & reliqui, quos vixisti? fuerunt, & non sunt amplius. I, revoca illos, si potes! irrevocabiles sunt; & damnum hac temporis jactura tibi illatum compensari non potest. Recuperari, & compensari potest jactura sanitatis, honoris, bonorum temporalium: sed ut semel perditum tempus non sit perditum pro tota æternitate, nec ipse Omnipotens efficere sua omnipotentia potest. Volat irremeabile tempus, nec advertit insipiens, quid amittat!

2. Perdit omnia bona, quæ per bonum

usum


usum temporis obtinere potuisset, & debuisset: & quidem non terrena, sed longe altioris ordinis bona, quorum intuitu illa fere evanescunt. Quantum enim bonum est gratia sanctificans? tantum, ait S. Thomas, *ut unicus illius gradus omnia bona creata infinities superet!* Quantum bonum est cælestis gloria? tantum, ait Apostolus, *ut neque a lingua humana satis extolli, neque ab intellectu creato comprehendi queat!* fide autem certum est, quod per quodlibet bene impensum momentum novum gratiæ sanctificantis & cælestis gloriæ gradum, consequenter per longius tempus, immensos gloriæ thesauros pro altera vita promereri possimus. Idcirco recte ait S. Hieronymus: minima temporis particula est pretium æternitatis, quia per hujus bonum usum cælestia, æterna bona, bona, quæ possessionem ipsius DEI, summi, & infiniti boni comprehendunt, emere possumus. Quid hinc consequitur? perdere te tot merita, tot coronas pro cælo, tot gradus gloriæ, quot tempuscula perdis; imo perdere te, si otiari pergas, spem cæli unquam obtinendi, quoniam, ut inquit S. Prosper, non otiosis, aut dormientibus provenit regnum cælorum. Quanta hæc jactura! quantum damnum!

PUN-




PUNCTUM III.

Considera denique, quam periculoſum etiam ſit otium! Otioſitas eſt *mater nugarum*, inquit S. Bernardus, *Noverca virtutum*. Generat enim in Religioſo faſtidium erga fratres, tædium erga exercitia ſpiritualia, & alia opera, quæ ſecundum obedientiam obeunda forent; & quia erga hæc parum afficitur, in rebus inutilibus ſolatium aucupatur, quærit occaſiones frequenter foras prodeundi, captat occaſiones converſandi cum ſæcularibus, indagat in rumuſculos, & dum his nugis occupatur, extinguitur ſpiritus. refrigeſcit proficiendi in via Domini deſiderium, & omnis virtus ſenſim languet enervata.

2. Otioſitas eſt mater fæcunda multarum tentationum. Sicut ſtagnum, ait Hugo a S. Victore, abundantiam nutrit piſcium, ſic otioſitas multitudinem cogitationum. S. Bernardus: Omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies eſt otium, malorum omnium ſentina, mors animæ. S. Auguſtinus non ſolum idipſum docet, ſed etiam aliquas harum tentationum enumerat dicens: Per otioſitatem accendimur ad luxuriam: per hanc animamur ad ſuperbiam: per hanc ducimur ad mundi gloriam: per hanc ten-

tamur

tamur delicate pasti; per hanc suffocamur pretiose vestiti: per hanc ad superfluam dormitionem trahimur: per hanc ad verba sæcularia ducimur &c. Novit id bene S. P. Ignatius, & ideo speciali lege suis cautum voluit, ne otium domi nostræ locum habeat; novere Patres in Ægypto antiqui tempus suum omne, quod exercitiis spiritualibus supererat, vario manuum labori impendentes: sancita enim, ut loquitur Cassianus, ab illis erat sententia: operantem Monachum ab uno dæmone pulsari, otiosum ab innumeris spiritibus devastari.

3. Otiositas est Nutrix, & Magistra criminum. Effatum est Spiritus Sancti Eccli 23. *multam malitiam docuit otiositas;* & Ezech. 16. 49. depravatio Sodomitarum partim etiam otio adscribitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.* Si experientiam, & historias consulas, an non otium erat origo, & primaria causa lapsus Evæ, adulterii Davidis, jacturæ virginitatis Dinæ, idololatriæ in populo Israelitico? Hunc certe esse communem, & naturalem otii effectum probant SS. Chrysostomus, & Bernardus, pulchra uterque Similitudine: sicut aqua, ait hic, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, pu-

putrescit; ita & corpus otii tabe confectum concupiscentiarum, & voluptatum carnalium parit, ac nutrit insaniam. Et alter: sicut terra non occupata semente, aut consitione quamlibet herbam producit; sic & anima, quoties non habet, quod agat rerum necessariarum, pravis actionibus semet tradit. Hinc recte S. Augustinus concludit terribili hoc Epiphonemate: Nunquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit! quoniam, ut vidimus, nulla in otiosis pro cælo merita, sed copiosa plerumque demerita inveniuntur


CONSIDERATIO VI.

De Conversatione cum Proximo.

Quoniam plerisque Religiosis frequens tam inter se invicem, quam cum sæcularibus vi vocationis suæ intercedat conversatio, non abs re erit, ut quisque bene perspiciat, qualem illam esse oporteat, ne vel statui suo maculam inurat, vel animæ propriæ vulnus infligat. Ad hæc valebunt præprimis tres regulæ, totidem punctis distinctæ, e quibus conversationem suam moderetur.

PUNCTUM I.

Conversatio universim sit prudens & mo-


desta. Multa, quæ in sæcularibus innocua, vel certe reprehensione digna non sunt, Religiosos nequaquam decent, quin interdum nec culpâ carent. Quapropter quisque nostrum sibi præ omnibus applicet monitum illud Apostoli, Philipp. 4. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Modestia eluceat e facie, ex oculis, ex gestibus, ex verbis, ex modo loquendi, ex sono vocis, breviter, ex toto corporis habitu. Erras, mi Religiose, si putes, te per majorem familiaritatem, liberiorem agendi modum, per colloquia jocosa, & minus modesta gratiam tibi sæcularium, & confidentiam conciliaturum. Mundus est censor exactissimus, qui singulis Religiosorum Virorum gressibus invigilat, & conformem ipsorum statui pietatem rigide ab omnibus exigit, a qua ipse longissime abest. Expectat igitur in conversatione nostra, & colloquiis religiosam gravitatem, modestiam, moderationem, & prudentiam; queîs qui excellunt, suaviter in cor sæcularium influunt, æstimationem, confidentiamque auferunt; quibus vero hæc desunt, ab aliis quidem tanquam homines, qui jucunde fallere tempus norint, considerantur, ab aliis tanquam garruli, & vaniculi contemnuntur. Ut autem talis quis in conversatione sit, qualem mundus expectat, & esse decet, opor-

oportet mentem bene collectam secum circumferre. Qui enim DEUM ubique sibi præsentem habet, erit urbanus sine affectatione; hilaris, quin se tamen ad externa effundat; affabilis, & facetus, quin de gravitate sua aliquid deperdat; erit sincerus, quin decentiam lædat; eloquens, quin, quidquid in buccam venit, effutiat, quin solus usque loquatur, vel in verba aliorum involet. Quot defectus, in conversatione committi soliti, evitarentur, si secundum hoc Prototypon nos dirigeremus, & non oblivisceremur christianæ, & religiosæ reverentiæ, quam alter alteri debemus!

PUNCTUM II.

Conversatio sit seria, & colloquia de gravibus, & utilibus rebus. Nolim, hic intelligas; tractandum semper, & unice esse de rebus spiritualibus. Inter Religiosos optandum quidem esset; verum, quemadmodum Religio suis quædam tempora indulget ad animum modeste exhilarandum, ita majorem illis etiam libertatem concedit, nec prohibet de rebus minus forsitan gravibus, & seriis sermones miscere. Conniventia hæc est prudens, & regulis sanæ discretionis conformis. Turpe nihilominus, & Religioso viro prorsus inconveniens esset, si tempus totum vanis, & in-

utilibus colloquiis perderetur; si tantum ad pascendam curiositatem conquirerentur rumusculi per urbem sparsi, & fabellæ populares; si etiam tempore silentii conventicula, & sermones fierent de rebus, quas aut domi nostræ, aut in urbe, privatisve aliorum domibus factas audivimus; si in omnibus, vel plerisque congressibus nulla de DEO, rebusque Spiritualibus, sed solum de sæcularibus mentio fieret; si sermones pii, vel salutares reflexiones non nisi cum tædio audirentur. Hæc, inquam, sanctitati status nostri nullatenus convenirent, & tolerari non possent, cum præsertim experientia constet, vana ejusmodi, & sæcularia colloquia producere communiter in Religiosis distractiones innumerás, tædium rerum spiritualium, ariditatem cordis; imo extinquere sensim spiritum, & non mediocrem in obsequio Divino teporem inducere.

Adhuc minus ferendum est, Religiosos conversari sæpius cum sæcularibus, & sermones quoque longiores miscere, quin de rebus spiritualibus, de veritatibus æternis vel mentionem faciant, eo quod metuant, ne per colloquia Spiritualia a nostra conversatione deterreantur. Verum quidem est, discretione opus esse, nec expedire, ut talia in omni congressu

quasi

quasi nolentibus obtrudantur. Interim & hoc quoque certum est, non deterreri tam facile sæculares, si quæ ad illorum seu ædificationem, seu instructionem interdum proferat Religiosus, cujus statum, & vocationem id exigere norunt, ut doceat, admoneat &c. imo, scandalizari potius non paucos, si illum, cum communiter Navita de ventis, de bobus narret Arator, si illum solum, inquam, hominem DEO consecratum de rebus a suo statu alienis sæpe, de ijs vero, quæ suæ vocationis sunt, nunquam loquentem audiant. Quodsi vero tales sermones illis revera displicerent, id unum inde consequetur, ut ad nos rarius invisant. Et hoc ipsum erat Principium S. P. N. Ignatii: Aut me de rebus piis & salutaribus sermocinantem libenter audient sæculares, ajebat, & DEUS laudabitur, & ego obtinebo, quod desidero; aut his materiis deterriti rarius ad me venient, & ego minus temporis perdam Et quid tandem necesse est, toties conversari cum hominibus sæcularibus, si visitationes, quas illi nobis, vel nos illis facimus, nihil ad nostram, vel ad illorum salutem conferant? Consultius longe est, in solitudine sua manere, & juxta effatum illud Christi Matth: 8. *mortuos sinere suos mortuos sepelire.*



epelire. Apoſtoli quidem totum mundum peragrarunt, ſed tantum, ut annuntient regnum DEI, Evangelium Chriſti prædicent &c. Ex alio fine cum mundo, cui valediximus, agere, idem eſt, ac mundum amare, mundanum eſſe, & fors pejus, quam ſi in ſæculo remanſiſſemus.

PUNCTUM III.

Converſatio ſit charitatis mutuæ ſtudioſa, ſine cujuſquam læſione. Univerſale quidem eſt illud ſapientis dictum: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir:* ſed præcipue de amore proximi pronunciari poteſt, non eſſe virtutem vulgarem, ſed magnam perfectionem, nullum in colloquiis offendere. Etiam in ipſis Monaſteriis ab hoc lapide offenſionis caveri vix ſatis poteſt. Conſueti modi, quibus læditur charitas, ſunt. 1. Innata quædam impatientia hominum plus æquo fervidorum, qui nulli quidquam pacifice loqui poſſunt. Vix verbulo uno aut altero illos alloqui eſt poſſibile, quin inamænum reſponſum referas, & quacunque cautela utaris, vix illæſus abibis unquam. 2. Contradictiones, & litigia, quæ oriuntur, dum pars utraque incaleſcit, & altera quidem ſpiritu contradictionis acta ſuas difficultates & objectiones contra Aſſerta proponit: altera vero ſui judicii nimium tenax, cedere, & errores ſuos

recan-

recantare renuit, vibratis hinc inde verborum jaculis, quæ animos vulnerant. 3. Verba jocosa, & aculeata, quæ alteri non satis cauto excidunt, & ab altero nimium sensibili in malam partem accipiuntur. Sunt enim ubique quemadmodum aliqui tam delicati, ut illis exacerbandis verbum unum sufficiat; ita alii tam leves, ut dicta factaque aliorum omnia suis salibus perfricent, nulli parcant, & modum jocandi tenere nesciant, licet alios id ægre ferre advertant. 4. Judicia, & murmurationes contra Superiores, Officiales, vel alios. Quamprimum aliquibus quidpiam displicet (& quam pauca placent omnibus?) jam tacere nequeunt, in murmura, & querelas prosiliunt, non quod sperent, res mutandas, aut corrigendas fore, sed ex indomita cupiditate, omnia dijudicandi, vitupe-randi &c. 5. Detractiones. Jn hac materia tam delicata nulla etiam inter Religiosos attentio & cautela est superflua. Circa alias omnes materias observatur communiter in Religiosis tenerior conscientia; sed circa detractiones laxissima interdum in aliqnibus principia vigent. Rara fiunt colloquia, in quibus de proximo non incidat sermo: & si quando ad illius errores descendatur, effutiuntur

facile

facile per inconſiderantiam, vel alia de cauſa, quæ celari deberent. Hæc aliaque ejusmodi e noſtris congreſſibus, & confabulationibus excluſa vult amor. Nulla ſit in verbis amarities, inurbanitas nulla, nulla impatientia! Non poſſumus ſemper impedire, ne paſſio, vel ſiniſter affectus ſe cordi inſinuet, ſed illum refrænare, ne in vehementes contradictiones, in verba amoris læſiva prorumpat, in poteſtate noſtra eſt. Quiſque habet jus ſententiam ſuam proferendi: ſed ſi advertimus, enaſci litigia, millies tacere præſtat, quam rem ſuam ceteroqui bonam defendere cum læſione charitatis. Abſint e colloquiis noſtris non ſolum aculeati, ſed etiam innocui, & ingenioſi joci, ſi qui e præſentibus illos ægre ferre notentur. Ceſſat enim eſſe innocuus, dum offenſivus eſſe incipit! Abſint murmura, & querelæ! Si quid enim aut vituperio, aut correctione dignum videatur, non id publice, ſed remotis arbitris fiat, ne ſpeciem quaſi ſeditionis habeat. Abſint denique omnes vel minimæ detractiones! Loquamur bene de omnibus, & ſi quid laudabile de proximo neſciamus, tacere potius oportet. Per accurratam harum regularum obſervantiam quot peccata, & mala evitabuntur? quam pacifica, quam boni

ad om-

ad omnes exempli, quam jucunda erit noſtra converſatio? Jta illud Regii Pſaltis 132 in nobis implebitur; Ecce! quam bonum, & jucundum, habitare fratres in unum!

CONSIDERATIO VII.

DE CREBRA & DEVOTA VISITATIONE SS. SACRAMENTI.


PUNCTUM I.

Hæc devotio eſt menti JESU Chriſti maxime conformis. Maxima ars Politicæ humanæ in iis, qui libero ad Reges terrenos aditu, & honore illis inſerviendi gaudent, conſiſtit in hoc, ut exploratis omni ſagacitate illorum modo cogitandi, & inclinationibus ſe accommodent. Ut inclinatio Filii Dei, Regis Regum nobis innoteſcat, multis opus non eſt. Edixit clare in ſcripturis ſacris, plurimum ſe ex eo gaudii percipere, ſi commorari nos inter, & familiariter nobiſcum agere queat: Deliciæ meæ eſſe cum Filiis hominum Prov. 8. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi Matth: 28. Quod utroque hoc loco aſſeveratur, & promittitur, opere completum videmus in SS. Euchariſtiæ ſacramento, ex quo nobis iden-

identidem idem inclamat, quod tunc ſuis Diſcipulis prædixerat: Ecce ego vobiſcum ſum, non ad unam, alteramve diem, uno tantum, alterove anno, ſed ad finem uſque mundi! Aſcendi quidem poſt reſurrectionem meam ad Patrem meum, ac Patrem veſtrum; ſed ne vos relinquerem orphanos, in Sacramento Altaris inviſibiliter quidem, & ſpeciebus panis velatus, vere tamen, & realiter præſens adſum: quia ſicut vos ſine me vivere non poteſtis, ſic ego ſine vobis eſſe nolo. Hæc ſunt illius ad nos verba, vel ſaltem genuinus verborum illorum ſenſus: ex quibus duas has ſequelas deduces. 1 Nil ergo præſtare JESU Chriſto gratius poſſum, quam ſi illum in loco habitationis ſuæ ſæpius inviſam. Jlle me invitat, & vocat: an non eodem, quo ipſe flagrat, me ad ſe trahendi, ego quoque flagrem deſiderio ad ipſum non tam accedendi, quam advolandi? An non eadem, qua ipſe me tam benigne expectat, conſtantiâ apud ipſum commorer? Sed quoniam diverſa negotia, & officia, quæ nobis incumbunt, tamdiu nos ibi morari non ſinunt, quamdiu luberet; quid agit pia, & Divino ſuo ſponſo vere fidelis anima? Amore illius, & deſiderio illi placendi, copioſiſſimis etiam negotiis ſuffu-

rari

rari novit quædam temporis ſpatia, queis eum quaſi ex lege adoratura inviſit. Jnviſit mane, ad offerendas illi diei primitias, conſecrandoſque Sancto illius Numini negotiorum omnium labores: inviſit circa meridiem, ut mentem tot externis curis diſſipatam colligat, & denuo ad eum elevet: inviſit circa veſperam, & antequam cubitum concedat, partim ut pro collatis ſibi beneficijs debitas rependat grates, partim ut commiſſos errores deprecetur, gratiam, & opem imploret contra inviſibiles hoſtes, & pericula, quæ ingruere noctu poſſunt. Hæc omnia non tam longas orationes, quam pios affectus requirunt, quibus quiſque pro ratione temporis, & occupationum ſuarum inſiſtere brevius, aut diutius poteſt. 2da, quam deduces, ſequela eſt: oſtenderem ergo exiguam huius SS. Sacramenti æſtimationem, & DEUM ſenſibiliter offenderem, ſi manifeſtato illius deſiderio, & amori, quo me prævenit, reſpondere recuſem. Reſume hic iterum illam de terrenis Regibus paritatem, & cogita: Sanctuarium eſſe Palatium, & Aulam, in qua Chriſtus reſidet. Quemadmodum igitur Aulam Regum deſertam eſſe, probroſum illis, & valde ſenſibile eſt, eoquod ſignum ſit manifeſtum, ſe non ſolum a ſubditis non amari, ſed etiam vilipendi; ita



Xto amarum accidere, &, dolere maxime debet, ſi, cum a pleriſque alioqui ſæcularibus deſertum ſe videt, nec a Religioſis frequentius viſitetur, quibus tamen maxime conveniret, hanc ſæcularium ſeu negligentiam, ſeu vilipenſionem reſarcire; cum illos ſpecialiter Deus elegerit amicos ſuos, & familiares. Metuendum certe, ne ſegnitiem nobis noſtram iiſdem verbis exprobret, quibus olim Xtus Diſcipulorum ſuorum ſomnolentiam increpabat Matth. 26. Non potuiſtis una hora vigilare mecum! Et huic quidem juſtiſſimæ objurgationi quam excuſationem opponere poſſemus?


PUNCTUM II.

Hæc devotio ſpiritui noſtro eſt valde proficua. E mutuis ſæcularium Viſitationibus parum, aut nihil utilitatis in illos redundat. Frequenter propter mores aliquorum non ſatis cultos, frequenter propter ſermones abſurdos, qui audiuntur, ſunt inamænæ & plenæ tædio, frequenter oriuntur diſcordiæ, pax turbatur, conſcientia læditur; fere ſemper tempus perditur, & diſtractiones innumeræ domum referuntur. Longe aliter res ſe habet cum viſitationibus, quæ JESU Chriſto in SS. Sacramento fiunt. Ex his nunquam non colliguntur fructus animæ uberrimi. Sunt enim *viſi-*

tatio-

tationes sanctæ; seu objectum, cui fiunt, quod est JESUS Christus, omnis sanctitatis fons; seu finem, ob quem fiunt, qui est adoratio debita, gratiarum actio, imploratio auxilii &c seu denique virtutes species, quæ ibi exercentur, viva nempe fides, spes firma, charitas ardens, profunda animi demissio, sincera peccatorum detestatio, oblatio sui &c. Sunt *visitationes salutares.* Hic enim fixit thronum misericordiæ suæ, e quo accedentibus ad se gratias suas multiplices distribuere statuit; hic miracula, quæ olim pertransiens Iudæam, & omnibus benefaciens patrabat, in bonum animarum renovat; hic cæcis reddit visum, debiles roborat, infirmas sanat, mortuas ad vitam revocat; Æquum itaque est, ut ad obtinenda ab eo talia beneficia, ad thronum hunc confugiamus, illius misericordiam frequenter, & humiliter imploremus. Sunt *visitationes solatio plenæ:* Tota hominis vita est miseria, & afflictio spiritus: etiam status Religiosus, multo ceteris felicior suis crucibus, & difficultatibus non caret. Sed quam felix est tristis anima, quæ novit, ubi in suis afflictionibus solatium, & opem invenire possit, & hanc quæsitura ad JESUM suum properat! Unica non raro amabilissimi hujus Patris visitatione est opus, ut mœror, & anxietas e corde depellatur, &

quies

quies animo optata redeat! Crede experientiæ tot devotarum animarum, quæ præsentissimam in variis suis necessitatibus opem a visitato hoc SS. Sacramento dicto citius abstulisse se confitentur. Statue igitur & tu in dubiis pro consilio, in negotiis pro felici illorum exitu, in ariditate, & tædio pro consolatione, in tentationibus pro spiritus fortitudine ad illum recurrere; & confide, preces tuas nunquam fore irritas. Sed præ omnibus præfige tibi certa in dies singulos tempora, quibus latentem sub speciebus panis Deum hominem propter seipsum supplex adeas ad exhibendum illi honorem, & contestandum pro viribus amorem tuum, quem illi tot titulis debes!

PUNCTUM III.

Ut hæ visitationes cum majore devotione, & fructu fiant, eundo ad chorum cogita quo, & quare eas: elice actus fidei, spei, charitatis, contritionis. Deinde in singulis visitationibus vener. .: certum mysterium; & pete gratiam aliquam peculiarem. v. g. In 1ma Visitatione repræsenta tibi Christum a Magis adoratum; adora illum tanquam Regem tuum: offer illi te, tuaque omnia: pete gratiam, hunc diem sine peccato, & sancte transigendi. In 2da Imaginare tibi Christum duodennem in tem-

in templo docentem; adora illum tanquam Doctorem tuum: pete gratiam in ſcientiis, & præcipue in ſcientia ſanctorum proficiendi. In 3tia. Conſidera Chriſtum in templo contra emptores, & venditores zelantem pro honore Patris ſui: adora illum tanquem futurum tuum judicem: pete verum zelum animarum. In 4ta Repræſenta tibi Chriſtum his verbis te alloquentem: venite ad me omnes,qui laboratis &c. & adora illum tanquam medicum tuum, & cum Paralytico ad piſcinam dic: Domine! hominem non habeo: Pete gratiam fortitudinis in adverſis. In 5ta. Imaginare tibi Chriſtum in deſerto prædicantem, & populum quinque panibus ſatiantem: Adora illum tanquam Paſtorem tuum: pete, ut te quidem ſæpius, ſed præcipue ante mortem SS. Suo corpore, & ſanguine reficiat: Deprecare injurias a te, & aliis in hoc Sacramento illi illatas. In 6ta. Imaginare tibi Chriſtum peccatores ſolicite ubique quærentem: adora illum tanquam Patrem tunm benigniſſimum: pete gratias efficaces, ut nunquam ab illo divellaris. In 7ma. Comitare in ſpiritu Chriſtum Hieroſolymas ſolemniter ingredientem, & conſummantem, quæ de ipſo ſcripta erant, ad redemptionem noſtram: adora illum tanquam Salvatorem tuum; pete felicem mortis horam, ne ſanguis Ejus in te pereat.

Sin-

Singulis visitationibus adde brevissimam gratiarum actionem pro peculiari aliquo beneficio obtento: v. g. pro beneficio creationis, redemptionis &c vocationis ad veram fidem, ad Religionem &c dein subjunge Psalmum: de Profundis pro Consanguineis tuis &c pro redemptioni proximis, pro destitutis omni suffragio &c

Discedens e choro elice desiderium cum JESU semper permanendi: invoca SS. Angelos, ut etiam pro te absente Dominum cæli, & terræ adorent, glorificent &c

Quod si accedere chorum vel morbi, vel alterius negotii causa non possis, faciem saltem Ecclesiæ obverte, & fac, quod ibi facturus esses.

CONSIDERATIO VIII.

DE ALACRI PROPOSITORUM EXECUTIONE.

PUNCTUM I.

Ut optatos fructus ex hac sacra Spiritus recollectione, quam hodie claudis, referas, in id nunc omnes curas intendere debes, ut facta per gratiam Dei vitæ melioris proposita illico, & constanter exequaris. Sicut enim Draco ille Apocalypticus stetit ante Mulierem, quæ erat paritura; ut cum peperisset, filium

ejus

ejus devoraret: ita diabolus insidiatur animæ, dum bonis propositis gravida jamjam paritura est; ut aut partum impediat, aut ipso in partu fætum suffocet: terret illam objectis mille difficultatibus: obmovet sexcenta obstacula: prætexit humanam debilitatem, exempla aliorum non ita viventium; sinistros hominum sermones, & judicia &c. Contra hæc, & alia omnia, quæ tentator tibi insusurrabit, animum obfirmare in præsentiarum oportet, ne illud Væ Matth. 24. prægnantibus intentatum aliquando in caput tuum detonet: Væ prægnantibus, & lactentibus in illis diebus! Licet enim secundum literam hæc verba de prægnantibus, & lactentibus Matribus intelligenda sint, quæ ex multiplici causa, & præcipue ob majorem fugæ difficultatem, graviores in desolatione Hierosolymitana miserias timendas habebant: in sensu tamen morali altiorem, & majoris momenti veritatem continent. Sub prægnantibus enim SS. Hieronymus, & Anselmus intelligunt illos, qui bona non raro proponunt, sed opere exequi nunquam incipiunt: vel qui incipiunt quidem, sed mox iterum desinunt. Hi sunt prægnantes, sed nunquam pariunt; vel pariunt quidem, at semper lactant, quin fætum unquam ad debitum incrementum perducant: Utrique isti sunt leves, & inconstantes

 homines,



homines, quibus Christus æternum Væ pro futuro Judicio comminatur: & merito; cum enim cognoscant voluntatem Domini sui, & necessitatem, eam faciendi (hac enim cognitione vivaci impulsi sunt ad concipienda melioris vitæ proposita) nec tamen eam faciant, merentur jure vapulare multis. Applica tibi hanc veritatem, & perpende, inexcusabilem te fore coram DEO, si vitam tuam juxta veritates in his exercitiis perpensas non instituteris. Nam neque ignorantiam, neque defectum gratiæ te excitantis, neque virium debilitatem obtendere unquam poteris, quin conscientia propria illico reclamet, teque & nosse hæc omnia, & vehementes ob vitam hactenus male actam remorsus, stimulosque novam ordiendi sensisse; & vero adjuvante DEO; qui piis conatibus nunquam deest, etiam ordiri facile potuisse, si serio voluisses, revincat.

PUNCTUM II.

Ut autem voluntatem tuam magis inflames ad perrumpenda nunc statim impedimenta; & amplius robores, ne tam cito languescat; oportet, ut has, vel similes veritates alte menti tuæ imprimas, & identidem recoquendo familiares reddas: 1. Proposita mea etiam optima, si non exequar, vel tantum ad tempus exequar, non me salvabunt. Desideria, inquit

quit S. Spiritus Prov: 21, occidunt pigrum. Infernus plenus eſt Velleitatibus: omnes propoſuerunt; ſed propoſita non dederunt executioni. 2. Si propoſita mea non incepero exequi nunc ſtatim, nunquam exequar. Si namque nunc mihi eſt difficile, ubi tamen aliquis in me eſt fervor; erit mihi, ſi iterum intepuero, adhuc difficilius: ſi nunc reſpectus humanus me retinet, retinebit dein fortius &c. 3. Metuendum merito eſt mihi; ne provocem in me juſtitiam DEI, qui procraſtinando emendationem, miſericordiam ejus quaſi ludifico. Verum quidem eſt, quod, cum pleraque mea propoſita non verſantur immediate circa eſſentialia officia Chriſtiani, ex neglectu illorum non videatur eſſe tantum vindictæ Divinæ appropinquantis periculum: ſed verum eſt etiam, intermiſſionem propoſitorum, etſi tantum imminutionem leviorum peccatorum, exactam diſciplinæ Religioſæ obſervantiam, devotionis augmentum &c. concernant, ſemper ſequelas maxime noxias poſt ſe trahere; inducere teporem, & ſolida confidentia doni pretioſiſſimi, finalis nempe perſeverantiæ nos privare: Sola enim in bonis propoſitis perſeverantia eſt, quam DEUS juxta communes providentiæ ſuæ leges ex parte noſtra requirit, ut ex miſericordia ſua

 donum



donum finalis perſeverantiæ nobis largiatur: id quod per illa verba Matth. 24. innuitur: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: & Apoc: 2. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 4. Fors hæc ſacra exercitia, quæ nunc abſolvi, tanquam ultimum medium deſtinavit Dominus me ab inveterato meo tepore ſanandi; Væ mihi, ſi fructus optimæ illius intentioni non reſponderit! Terra enim, ut inquit S. Paulus Hebr: 6. ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem; proferens tamen ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cujus conſummatio in combuſtionem!

PUNCTUM III.

Praxes porro, quibus Viri ſalutis, & perfectionis ſuæ ſtudioſi uti ſolent ad exequenda fideliter, & conſtanter ſua propoſita, communiores ſunt: relegere attente ſingulis ſaltem hebdomadibus annotatata in exercitiis lumina, & propoſita: quotidie in examine generali inquirere, an hodie fuerit occaſio propoſita, & quæ, executioni dandi, & an executioni data ſint: omni menſe, inſtituta denuo de hac materia meditatione, rationem de ijſdem a ſe exigere: & quomodo circa hæc te geſſeris; quæ impedimenta, vel quæ notabiliores difficultates emerſerint, cum Patre tuo Spirituali

ſincere

ſincere conferre; cui quidem ſtatim poſt exercitia ſcripto exhibere propoſita valde conſultum eſſet, ut, ſi quæ indiſcreto (quemadmodum fit interdum) fervore abreptus, aut viribus, aut ſtatui, officiove tuo minus conformia concepiſſes, corrigat; vel ſi quæ nimis generalia, ad certas circumſtantias, & particulares caſus reſtringat: cum ad profectum ſpiritualem, & præſertim ad fidelem eorum executionem non parum intereſt, propoſita tua non tantum ſpeculativa, ſed practica; non vaga, & nimis late ſe extendentia, ſed ad exigentiam, & ſtatum animæ tuæ, ad certa tempora, loca &c. determinata, & quaſi limitibus coarctata eſſe: denique juvabit non parum, ſibi ipſi pœnam injungere, & quidem eo ſenſibiliorem, quo frequentius tranſgreſſionum ejuſmodi te reum deprehenderis. Exigua quidem ſunt hæc, & factu facillima; ſed tanti ſimul momenti, ut ſemen, quod DEUS octo iſtis diebus in cordibus ſingulorum ſeminare dignatus eſt, in iis, qui hæc neglexerint, perexiguum, aut nullum: in iis vero, qui diligenter obſervaverint, fructum centuplum fore producturum, audacter aſſeverare non dubitem.

OMNIA
AD MAJOREM DEI GLORIAM.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0023917